6
3-D
60

6
2 K
14

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

6-3.D.60

74 74
K F

T. IV 4 D. 4

Coll. Roman. Societ. Jesu

VINCENTII CONTARENI

Variarum Lectionum Liber.

IN QVO MVLTI VETERVM CVM Græcorum, tùm Latinorum ſcriptorum loci illuſtrantur, atque emendantur.

Prout altera pagina fuſius indicat.

Addita eſt in calce verborum Græcorum interpretatio, & copioſiſſimus rerum omnium Index.

CVM LICENTIA SVPERIORVM.

Catalog. Inscript.

BIBLIOTECA ... ROMA

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA

VENETIIS, M D C V I.

Apud Ioan. Baptiſtam Ciottum Senenſem.

Cum Priuilegijs.

B. 5

CAPITA QVIBVS HIC LIBER CONTINETVR.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

De belli ſocialis initio & autoribus, deq; anno, & iure, quo Italicis populis ciuitas eſt data, pugnantes inter ſe ueterum ſcriptorum loci conciliati. Caput 1

Vocem ἱερόσυλος *à viro Græcè doctiſsimo damnatam Græcam eſſe, & qui ſint* ἱερόσυλοι. Caput 2

Auguſtales Ludos, quos Tacitus memorat, alios fuiſſe ab ijs, de quibus agit Suidas, contra quàm IVSTO LIPSIO *videatur.* Caput 3

Appuleij floridorum libri recenſiti. Caput 4

Loci aliquot ex iiſdem floridorum libris partim illuſtrati, partim emendati. Caput 5

Lacuna apud Plutarchum expleta ex Clemente Alexandrino. Horum ſcriptorum loci inter ſe collati. Caput 6

L. Flaccum Conſulem à Fimbria occiſum videri. Caput 7

Conatus emendandi locos duos è Ciri Virgiliana. Caput 8

De mutuis Archytæ & Platonis epiſtolis apud Laertium. Caput 9

Iuuenalis loci duo illuſtrati. Caput 10

Murænæ quomodo exoſſentur. Plauti loci illuſtrati. Caput 11

De vetere vrbis ambitu accuratè contra IVSTI LIPSII *ſen-*

etiam diſputatum. Halicarnaſſæi, Plinij, Vopiſci loci obſcuriſſimi illuſtrati. Caput 12

Plato in Protagora ab Athenæi calumnia vindicatus. Caput XIII.

Variatio in vno Ciceronis loco ter obſeruata. Iuuenalis illuſtratus. Caput XIIII.

Notæ quædam in Plauti Amphitruonem. Caput 15

Romanam Hiſtoriam à Græcis fuiſſe fabulis inquinatam. Caput 16

De locis quibuſdam Demoſthenis ex orationibus pro Corona, & de ementita legatione diſputatum. Caput 17

Romanos à ſubditis tributum in capita æquale exegiſſe, argenteum denarium. Quæ contra IVSTVS LIPSIVS diſputauit, reiecta, & confutata. Caput 18

Panem biſcoctum in delitijs olim fuiſſe. Athenæus, qui hoc tradit, à magni viri reprehenſione vindicatus. Caput 19

Vt Saluſtium Catilinariæ coniurationis, & belli Iugurthini, ſic Tacitum Annalium, & hiſtoriarum initium eodem argumento ſcripſiſſe. Qua varietate id obſcurare vterque ſit conatus. Caput 20

Interamnas olim in Italia tres fuiſſe. Plinium memoria lapſum videri. Caput 21

Iſis Græcane vox ſit; vt vult Plutarchus, an Aegyptia. Eius deæ nomen latinum inuentum, atque illuſtratum. Caput 22

IVSTVM LIPSIVM Tibulli locum è libro primo, elegia tertia male interpretatum videri. Ei loco lux data. Caput 23

Ex Catone maiore plures loci emendati Caput 24

De menſe; & die quo magiſtratum primi Conſules inierunt. Caput 25

Horatij loci duo illuſtrati, vnus Appuleij emendatus. Caput 26

De-

Dubitatum de eo, quod tradit IVSTVS LIPSIVS tres Apicios gulones fuiſſe. Caput 27

De corrupto Ciceronis loco in oratione pro Seſtio ſententia. Caput 28

Lis de Scaptenſula inter Lambinum, & Giſanium dirempta. Caput 29

Appuleij locus vnus, alter Claudiani ex ANTONII QVAERENGI ſermonibus emendatus. Caput 30

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

C O P I A.

GLI Eccell. Sig. Capi dell'Eccelſo Conſeglio di X. infraſcritti, hauuta fede dalli Sig. Reformatori del ſtudio di Padoüa per relation delli doi à ciò deputati, cioè del R. P. Inquiſitor, & del Circ. Secretario del Senato Zuane Marauegia con giuramento, che nel Libro Intitolato *Vincentij Contareni Variarum Lectionum Liber*, non ſi troua coſa contra le leggi & è degno di Stampa, concedono licenza, che poſſi eſſer ſtampato in queſta Città.

Dat. die 14. *Februarij*. 1605.

D. Lorenzo Loredan
D. Santo Balbi — *Capi dell'Eccelſo Conſeglio di X.*
D. Franceſco Triuiſan

Illuſtriſſimi Conſilij X. Secr.
Io. Baptiſta Padauinus.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E. ROMA

VINCENTII CONTARENI VARIARVM LECTIONVM.

LIBER.

De belli ſocialis initio & autoribus, deque anno & iure, quo Italicis populis ciuitas eſt data, pugnantes inter ſe veterum ſcriptorum loci conciliati. Caput I.

QVod de mendacibus vulgo dici ſolet; ſæpe fieri, vt quamquam vera narrant, nemo tamen illis habeat fidem, id poteſt non ineptè transferri ad hiſtoricos, quorum nemo eſt, qui in rebus prodendis non ſæpè ab alijs diſſentiat. Vt igitur illorum lingua falſo aſſueta, ſic horum in vero, quod vnum omnino eſt, prodendo varietas ac diſſenſio eò rem deduxere: vt mentiri ac pugnare cum alijs tunc etiam videãtur, cum mentiuntur minime, ac pugnant. Quod quanto fiat & vitæ, & veteris hiſtoriæ ſtudioſorum incommodo omnes vident. Et ſanè vt illis miſſis, de hiſtoricis tantum dicam, quorum cauſſa hic à me ſuſceptus eſt ſermo, aut e-

go valde faller, aut longè præſtaret non amplius vnum ex omnibus eſſe reliquum veteris hiſtoriæ ſcriptorem, ſed eum grauem ac diligentem, ne fortè, quod eſt inter vitia huius gentis, quia non poſſet cum alijs, ſecum ipſe pugnaret. Nunc quandò non ſolùm plurimi extant, ſed multi etiam, qui latuerant hactenus prodeunt in lucem, etiam atque etiam cogitandum eſt, quæ ſit facienda huic malo medicina; mihi quidem reſtare hæc vna videtur, vt vir aliquis impensè doctus, & in vetere hiſtoria diu diligenterque verſatus ſuſcipiat perſonam interpretis pacis & concordiæ, & ſi qua erunt, vt ſunt ſanè multa, quæ pugnare videantur, ſed reipſa non pugnent, doceat rationem dirimendæ controuerſiæ: neque ſolùm hiſtoricos reconciliet hiſtoricis, ſed alijs etiam ſcriptoribus, ut omnes, quantum poteſt, congruant inter ſe. Quod ſi qua erunt in eorum ſcriptis apertè pugnantia, non ſolùm de ijs admoneat, ſed inueſtiget etiam rationem controuerſiæ; aperiat poſtremò, quem ipſe autorem ſequatur, & quamobrem. Vacat adhuc hic locus in Romana hiſtoria. neque enim fuit hactenus, quod ſciam, quiſquam, qui ſit pro feſſus ſuſcipi à ſe hāc prouinciam, ex qua bene geſta fructus referretur laudis vberrimus. Nec tamen deſpero in tantò omnium illuſtrandæ antiquitatis ſtudio fore breui, qui hac quoque in parte ſibi ſtatuat laborandum. Ego interea, cui maiora aggredi nec licet, nec vacat, excerpam ex eadem hiſtoria paucos aliquot controuerſos & obſcuros locos, quibus lucem dem, eoſque ſparſim inſeram huic operi. Incipiā autem à bello ſociali, quod Marſicum etiam, & Italicum eſt appellatum. Variant primò autores in anno, quo cœptum eſt; deinde in populo prodendo, à quo belli initium eſt ortū; poſtremò, vt mittam cetera leuiora, in anno & iure, quo Italicis populis ciuitas eſt data.

Bellum cœptum Sex. Iulio Cæſare. L. Marcio Philippo Coſſ. tradit Diodor. lib. xxxvij. Oroſius lib. v cap. xviij. Plin. lib. xxxiij. cap. iij. Pædianus in primam Cornel. At Faſti Capitolini

pitolini, Velleius lib. primo Plinius ipſe, & Pædianus, ille lib. 2. c. XXCIII. hic in eandem pro Cornelio orationem, in annũ ſequentẽ rem producunt, quo Coſſ. fuerunt L. Iulius Cæſar, & P. Rutilius Lupus, qui annus fuit ab V. C. DCLXIII. vt Faſti Capitolini annos numerant, ad quos ego, vt fiat res clarior, reuocabo etiam Liuianos. Vnus Appianus ab omnibus diſſentiens Sex. Iulium Cæſarem, & P. Rutilium Lupum Coſs. comparat inter ſe, nec difficile eſt intelligere, quid eum impulerit in errorem. Hic ergo proculdubio fallitur, reliqui omnes, quamquam verbis diſcrepant, re tamen conſentiũt. Nihil enim verius, quàm anno DCLXII. Cęſare & Philippo Coſſ. ab Italicis populis bellum comparatum, inſequenti geſtum fuiſſe. Priore illo anno defectione agitata ad arma ſumenda conſpirarunt, atque eadem Q. Seruilium pro conſulem in Opido Aſculo cum omnibus ciuibus Romanis, qui in eo opido erant, occiderunt. Quod fuit, vt ait Florus, impii belli Sacramentum. Anno autem inſequenti bellum magna opum vi undique illatum populo R. Id licet intelligeret ex Plinii & Pædiani verbis inter ſe collatis. Plin. lib. xxxiii. *Sex. Iulio L. Marcio Coſſ. hoc eſt belli ſocialis initio, DCXLVI. M. auri pondo in ærario P. R. fuere.* Pædianus. *P. Licinius Craſſus. & P. Mutius Scæuula de regendis in ſua ciuitate ſociis legem tulerunt, qua lege alienati animi ſunt principum Italicorum populorum, ut ea uel maxima cauſſa belli Italici quod poſt triennium exortum eſt, fuerit.* Triennio poſt Scæuulæ & Craſſi cenſuram Coſſ. fuerunt Sex. Cæſar, & L. Philippus, in quem annum belli tãtum initia, & ortus conferuntur ab vtroq; ſcriptore.

Sequitur altera de iis controuerſia, qui primi apertè defecerunt. Appianus, & Florus Aſculo furorem erumpere cæpiſſe memoriæ prodiderunt. Initium belli a Picentibus ortũ, eſt in Epit. lxxii. Appianus idem & Strabo Marſos defeciſſe primos memorant. Sed poteſt non magno negotio hic nodus diſſolui. Primum enim Aſculum in Piceno eſt autore

A 2 Plinio

Plinio lib.iii.cap.xiii. neq; vllum relinquit dubitandi locum Epit. lxxii. in qua ſic ſcriptum eſt. *Italici populi defecerunt initio belli à Picentibus orto*. hoc autem initium quale fuerit narrans hæc addit. *Q. Seruilius Procos. in opido Aſculo cum omnibus ciuibus Romanis, qui in eo opido erant, occiſus eſt*. Deinde Marſi reliquis populis autores defectionis fuere, Popedius præcipuè, quem Romanos imitati conſulē crearunt. Florus. Strabo. Diodorus. Eoſdem ante alios arma ſumpſiſſe indicare videtur Paterculus. has omnes ob cauſas bellum Marſicum eſt appellatum, non Samniticum, quamuis ex ea gente alter eſſet conſul creatus.

Tertia reſtat longè obſcuriſſima pars huius quæſtionis de anno & iure, quo Italicis populis ciuitas eſt data. Appianus lib. de bellis Ciuilibus primo prodit quoſdam ex ſociis primo ipſo belli anno in ciuitatem receptos, alios autem bello magna ex parte confecto, quod ad biēnium durauit; datum omnibus ſuffragium in decem nouas tribus diſtributis, quas tamen Paterculus octo dumtaxat fuiſſe prodit. Strabo etiam lib. v. Appiano aſſentitur de Italicis populis bello duorum annorum ciuitatē adeptis, anno ſcilicet ab V. C. DCLXV. quo L. Sylla & Q. Pompeius conſulatum geſſerunt. Cum his pugnat Liuius ſiue Florum mauis, apud quem in Epit. lxxx. reperio anno ſequenti S.C. Italicis populis ciuitatem datam & quidem ſine ſuffragio, vt intelligere eſt ex Epit. lxxxiv. in qua traditur nouis ciuibus S.C. ſuffragium datum Cinna demum, & Carbone Coſſ. anno V. C. DCLXIX. Cicero poſtremò in oratione pro Balbo, & Agellius lib. iv. cap. iv. legis Iuliæ meminerunt, qua ciuitas ſocijs, & latinis ſit data, quam legem Iulio Cæſari dictatori ſunt qui tribuant, ita vt multo etiam poſt annum DCLXIX. cum ſocijs, & latinis ſit ciuitas communicata. Ego ſanè haud ſcio an vlla iniri poſſit ratio, qua tot ſententiæ, tam variæ tamque diſcrepantes adducantur ad vllam concordiam, &, ſi eſt vlla, an ea ipſa ſit, quā ego in medium afferre paro. Vtcumque erit, oratos om

nes

nes velim, qui hæc legent, vt meum ſaltem hiſtoriæ veteris illuſtrãdæ ſtudium ęqui boniq́ue faciant. Cenſeo igitur non uno & eodem, ſed aliis atq́ue aliis temporibus datam eſſe latinis, & Italicis populis ciuitatem, id quod apertè docere uidetur Liuius, qui non ſolum Epit. lxxx. ſed etiam lxxxvii. nouorum ciuium mentionem facit. Sed multò clarius Paterculus lib. ii. his verbis. *Paullatim deinde recipiendo in ciuitatem, qui arma aut non ceperant, aut depoſuerant maturius, vires recuperatæ,* & mox. *Finito Italico bello, quo quidem Romani victis afflictiſq́ue ipſi exarmati, quam integris vniuerſis ciuitatem dare maluerunt, conſulatum inierunt Q. Pompeius & L. Cornelius Sulla.* Quibus verbis notari tria tempora videntur. vnum, quo ſocijs, qui manſerant in fide, alterum, quo rebelles qui redierant maturius ad ſanitatem, ſunt ciuitate donati. paullatim enim hos quoq́ue receptos dicit. tertium, quo victis afflictiſq́ue Italicis populis bello demum fere prorſus confecto ciuitas eſt data. his addi poteſt quartum, quo reſpubl. cum Lucanis & Samnitibus eſt communicata. hi enim ſoli Italicorum populorum arma pertinaciter retinuerunt vſque ad annum ab V. C. DCLXXI. quo cum ijs iuxta vrbem Romam Sylla debellauit. de quo tempore hæc habet Appianus καὶ τάδε μὲν ἦν περὶ τὴν Ἰταλίαν ἀμφὶ τὸν συμμαχικὸν πόλεμον ἀκμάσαντα μὲν δὴ μάλιστα μέχρι τῶνδε. ἕως Ἰταλία πᾶσα προσεχώρησεν ἐς τὴν ῥωμαίων πολιτείαν χωρίς γε Λευκανῶν, καὶ Σαυνιτῶν τότε. δοκοῦσι γάρ μοι καὶ οἵδε τυχεῖν ὧν ἔχρῃζον, ὕστερον, ἐς δὲ τὰς φυλὰς ὅμοια τοῖς προτυχοῦσιν ἕκαστοι κατελέγοντο. Hæc ſi uera ſunt, omnia fortaſſe congruunt inter ſe, neq́ue eſt inter eos ſcriptores, quos ſupra memorauimus, vlla diſſenſio. Nam vt de Iulia legé primum dicam, falluntur, qui eam latam putant à Cæſare dictatore: nec peccant ſolùm in ratione temporum, ſed in eo etiam quod ille ciuitatem non ſocijs dedit ac latinis, ſed tranſpadanis, qui ius latij tantum habuerant lege Pompeia. autores Dio. lib. xlj. & Pædianus in Piſonianam. Hęc autem

qua de agimus Iulia lex,qua ciuitatem ſocijs ac latinis datã teſtatur Cicero & Agellius à Sex.Iulio Cęſare P.Rutilij collega in conſulatu lata eſt,anno belli huiuſce Marſici primò. Ea lege,quantum coniectura conſequi poſſum, non ijs modò ciuitas eſt data,qui manſerant in fide, vt quam ſuſceperant R. Reip. cauſſam,in ea tuenda perſeuerarent, ſed ijs etiam promiſſa,qui arma poſuiſſent maturius, & ius ciuitatis Populi R.beneficio partum,vi atq́ue armis extorto ante poſuiſſent. Hæc vt credam faciunt primo verba Velleij,quę ſupra attuli;deinde ſilentium apud omnes hiſtoricos de altera lege ante Marſos deuictos lata de ijs in ciuitatem recipiendis,qui non fuiſſent in armis retinendis pertinaces. Atq́ue ij quidem, quibus iuſto dolore fides, ſocietas, fœdera fuerunt antiquiora, lege lata continuo ciues ſunt facti;quidam meliore,quam antea,iure, vt latini, vt ſabini, quidam tum primùm,vt pars Vmbrorum,atq́ue Etruſcorum,pars inquam: conſtat enim manſiſſe quoſdam in fide ex Appiano, alios autem cum Italicis conſpiraſſe ex Epit.lxxiv.in qua L. Portius Prætor traditur Etruſcos,cum defeciſſent,prælio viciſſe. Quamquam in optimis etiam codicibus pro Etruſcis ſuppoſiti ſunt Marſi, quàm prauè, nihil opus eſt dicere, cũ Marſi belli autores ſępius ad eam diem cum Romanis ſigna contuliſſent,& tradat apertè Oroſius Etruſcos victos à Catone Prętore. Atq́ue hi populi ſunt, quos tradit Appianus primo belli anno ciuitate donatos. Nec quemquam cõmoueat,quod S.C. id factum eſſe vult, nos autem lege Iulia,cum verum vtrumq́ue poſſit. Nam de ea re cum actum eſſet à conſule in Senatu, Patres autores facti iuſſerunt ferri ad populum, populus ſciuit. Plena ſunt omnia exemplorum, ex quibus vnum tantum afferam in pręſentia huic rei,qua de agimus plane geminum. Cicero lib.iv. ad Atticũ epiſt.prima. *Factum eſt,* inquit, *S.C.in meam ſententiam,ut cum Pompeio ageretur,ut eam rem (annonæ curam)ſuſciperet,lexq́ue ferretur.quo S.C.recitato habui concionem:omnes magiſtratus pręſentes,prę-*

ter

ter unum Prætorem,& duos tribunos dederunt. Vides in eadem re S.C.& legem. At Dio.lib.xxxix. eandem rem narrans nihil aliud, quam Pompeium dicit S. C. in Ciceronis ſententiam facto præſectum rei frumentariæ. Sed & hoc S.C.lex ſequuta eſt,& lex à Tullio non ante promulgata, quàm Senatus conſuleretur. Anno inſequenti, qui fuit belli ſecundus ab V.C. DCLXIV. Catone & Pompeio Coſſ. reliquis Etruſcis, qui anno priore defecerant, pacem petentibus ciuitas etiam data. Nam eos hoc anno arma depoſuiſſe poteſt intelligi ex Appiano, prodente ſuperi maris accolas, nondum cognito Etruſcos rediiſſe in gratiam cum Romanis, copias miſiſſe, quæ ſe cum illis coniungerent,& communi conſilio bellum gererent; eas à Pompeio conſule fuſas, ac profligatas. Nec uideo qui fieri potuerit, vt qui ſe cum Italicis coniunxerant, anno priore mutarent ſententiam,& fierent ciues R: nec tamen de ea re ad ſocios furoris vel tenuis famæ aura perlaberetur. Præterquam quod ſatis apertè docet Velleius non eodem tempore in ciuitatem receptos, qui arma non ceperant,& qui non depoſuerant maturius. at illi recepti anno priore extremo (cum Cæſar ante redire commodè ad vrbem non potuerit, nec poſt eam legem quidquam eo anno amplius geſtum dicatur) hi igitur proculdubio in hũc annum ſecundum reijciendi; quo anno Vmbris quoque ciuitatem datam facilè adducor ad credendum, quod eos nihil quidquam in populum R. poſt hac molitos reperio. Primi igitur Italicorum populorum Etruſci & Vmbri, Marſici belli terrore ciuitatem Romanis extorſerunt. De his illa Strabonis accipienda lib. v. δύο δ' ἔτη συνέμειναν ἐν τῷ πολέμῳ μέχρι διεπράξαντο τὴν κοινωνίαν, περὶ ἧς ἐπολέμουν. hoc enim dicit initam inter Italicos populos ſocietatem ad biẽnium duraſſe, intra quod tempus eos ſibi aperuiſſe aditũ ad Romanam ciuitatem Etruſcis & Vmbris in eam receptis. Nam ſi de omnibus Italicis populis hoc dictum accipias, falſum erit. Quam multò enim poſt, vt Marſos prætercam,

Sam-

Samnitibus, & Lucanis ciuitas eſt data? Noui ciues vt in tribus diſtribuerentur, in quibus ferrent ſuffragium, Cenſores hoc anno ante ſolemne quinquennij tempus, vt rectè notauit Panuinius, creati Cæſar & Craſſus, qui in octone, an in decem nouas, an veteres tribus eos deſcripſerint, non videtur inter Appianum conuenire & Velleium. De tribuum numero nihil omnino habeo dicere, ac ne ſuſpicari quidem poſſum, quid hos ſcriptores commiſerit inter ſe. Nouæ quin fuerint, non dubito. Nec Velleius repugnat illis verbis. *Cum ita ciuitas Italiæ data eſſet, ut in octo tribus contribuerentur noui ciues, Cinna in omnes tribus eos ſe diſtributurum pollicitus eſt.* Quamquam enim ex eo, quòd in omnes ueteres tribus erant diſtribuendi, effici videtur nouos ciues initio in octo ex veterib. fuiſſe deſcriptos, non efficitur tamen; & eos, qui ita concludunt, arguit Appianus, qui cum nouas prodat inſtitutas tribus, eadem, qua Velleius, loquendi formula vtitur. *Καὶ οἱ μὲν ἀμφὶ τὸν Κίνναν ἐβόων ἐς τὰς φυλὰς πάσας ἀναμιγῆναι*. at hi nihil aliud, quam transferri ſe poſtulabant ex nouis in omnes ueteres tribus. Cauſſa poſtulandi erat, quòd cum in nouis, in quas dolo malo fuerant coniecti, poſtremi ferrent ſuffragium, & veteres numero eſſent longè ſuperiores, vix vlla erat relicta in eorum ſuffragio vis. Ne igitur à Romanis iterũ fallerentur, ſi hoc ſolum poſtulaſſent, ut transferrentur in veteres tribus (potuiſſent enim in iv. vrbanas conijci, in quib. libertini & fæx vrbis cenſebatur) & foret denuo laborandũ vt gratia & dignitate ceteris æquarentur, non de nihilo poſtulabant, vt in omnes veteres diſtribuerentur. Dicet quiſpiam, ſi noui ciues hoc anno in tribus à Cenſoribus ob vnã hanc cauſſam creatis contributi ſunt, quid eſt, quod legitur in Epit. lxx. anno inſequẽti, qui Liuiana chronologia ad Capitolinam reuocata, fuit V.C. DCLXV L. Sylla Q. Pompeio Coſſ. P. Sulpitium tribunum plebis autore C. Mario legẽ promulgaſſe de nouis ciuibus in tribus diſtribuẽdis? ſi enim fuerant ante diſtributi, non fuit opus hac lege; ſi lege opus

fuit,

fuit,non erant diſtributi. Sed hoc molli, vt aiunt, brachio is reiiciet, qui animaduerterit ſcribere Florum non modò de nouis ciuibus,ſed etiam de libertinis in tribus diſtribuendis rogationem latã à P. Sulpitio. Cum autem libertini in quattuor veteribus vrbanis dubio procul ſuffragium ferrent, nõ potuit aliud ſignificare Florus ijs verbis,quàm latum à Sulpicio,vt noui ciues è nouis,libertini ex vrbanis in omnes veteres tribus transferrentur.id quod ſatis apertè notat Appianus, qui de Mario loquens hæc habet ὑπηγάγετο δὲ συμπράσσειν ἐς τοῦτο Πόπλιον Σουλπίκιον δήμαρχον ὑποσχέσεσι πολλαῖς. καὶ τοὺς ἐκ τῆς Ἰταλίας νεοπολίτας μειονεκτοῦντας ἐπὶ ταῖς χειροτονίαις ἐπήλπισεν ἐς τὰς φυλὰς πάσας διαιρήσειν. Vbi notari volo iterum iam ab Appiano omnium tribuum nomine v. & xxx. veteres ſignificari; pertinet enim ad confirmandã noſtram de loco Velleij paullò ante allato ſententiam. Verum illa Sulpitij lex,vt per vim lata,non fuit diuturna,ſed eodem anno vnà cum illa altera, qua Mario erat mandatum bellum Mithridaticum,à L.Sulla abrogata, Sulpitius quoq; interfectus. At noui ciues quamquam videbant abire in uentos ſpes ſuas,nec ſuccedere quidquam ex ſententia,non tamen deſtitere ab incœpto, ſed corrupto CLXXX. aureorũ M.Cinna Octauij collega in conſulatu(hi Sullæ & Pompeio anno V.C.DCLXVI. ſucceſſerant) eum ad cauſſam ſemel iugulatam denuo ſuſcipiendam perpulerunt. Sed Cinnæ conatibus obuiam itum à collega, & veteribus ciuibus; vrbe pulſus & S.C.magiſtratu abdicatus eſt. Cumque ille adiutus opibus nouorum ciuium,confirmatus etiam Cn.Põpeii fraude,& conſulum ſegnitie quatuor vno tempore exercitibus vrbem circumſediſſet,veriti Patres,opinor, ne Marſi,Picentes,Peligni,qui, quòd non niſi fracti & afflicti arma poſuiſſent,non erant recepti in ciuitatem,oblata aliqua eius aſſequendi ſpe, Cinnæ ſe adiungerent,occuparunt eos ciuitate donare,vt hoc beneficio reipublicæ eorum animos pignerarẽtur. Atque hos eſſe arbitror Italicos populos,de qui

B bus

bus mentio fit initio Epit.lxxx.& quibus Romani victis aſflictiſque ciuitatem dare,quàm integris maluerunt.Hi quoque vt Vmbri & Etruſci in nouas tribus, Appiano teſte,con iecti ſunt. Sed quoniam obſtricti recenti Senatus beneficio Cinnæ arma patriæ inferenti opem ferre fortaſſe recuſauerant,hinc factum videtur,vt ne Cinna quidem eorum cauſſam,vt Latinorum,Vmbrorum,Etruſcorum ſuſciperet.Anno igitur inſequenti,qui fuit V.C. DCLXVII. cum ipſe, & C. Marius nullis habitis conitijs conſules ſe renunciaſſent (expediam enim vt cœpi,rem coniecturis in tanto veterum annalium ſilentio)per eorum factionem iterum Cenſores ante ſolemne quinquennij tempus creati: ea præcipuè gratia, vt Vmbri, Etruſci, Latini, qui Cinnæ,& Mario fauerant,ex nouis in omnes veteres tribus transferrentur. De Marſis,& ſocijs nihil ex eo,quod vltrò Senatus tribuerat mutatũ hoc trienio,quo Cinna rerũ potitus eſt. Anno demũ DCLXIX. eo interfecto Marſi,& ſocij,vt reliqui noui ciues in v.& xxx. veteres tribus S.C.ſunt diſtributi. Quod notat Florus in Epit.lxxxiv.illis verbis. *Nouis ciuibus S. C. ſuffragium datum eſt*, optimo iure ſcilicet è nouis tribubus,in quibus eorum ſuffragium ſæpè erat ſuperuacaneum,in omnes v.& xxx. diſtributis. Scio hanc vocis huius interpretationem multis duram, & nouam viſum iri, ſed iam ſaxo, vt mollis & vetus videatur.Non enim ei ſolum dari ſuffragium dicitur,cui tunc primùm eius ferendi,ſed cui etiam meliore quàm antea conditione ferendi ius datur. Illo modò ſæpe loquuntur veteres ſcriptores,hoc rariùs fateor,ſed tamen aliquando. Leges.n. Sulpicia,Manilia,Clodia de libertinorum ſuffragijs, quarũ Cicero in prima pro Cornelio,Pædianus, & alii meminere, nihil fuerũt aliud,quàm rogationes latæ de libertinis è quatuor vrbanis in omnes tribus diſtribuendis,vt intelligere eſt vel ex vna lege Sulpicia,de qua ſupra egimus. Plutarchus præterea in Poplicola de Vindicio loquens, cui ius datum erat ferẽdi ſuffragium in quacumq; vellet tribu hæc addit,

τοῖς

τοῖς δὲ ἄλλοις ἀπελευθέροις ὁ ψὲ καὶ μετὰ πολὺν χρόνον ἐξουσίαν ψῆφον δημαγωγῶν ἔδωκεν Ἄππιος. At libertinos cõſtat iam inde à Seruio Tullo in iv. vrbanis tribubus ſuffragium tuliſſe, hunc autem Appium, cuius cenſura in annum incurrit ab V.C.CDXLI. libertinos per omnes quinque, & triginta tribus ſparſiſſe, quo facto ait Plut. libertinis ſuffragium datum, vt Florus nouis ciuibus.

Vocem ἱεροσόλος à viro Græce doctiſſimo damnatam Græcam eſſe, & qui ſint ἱεροσόλοι. Caput II.

ENITAR hic inire gratiam ab ijs, qui Græcas litteras amant, & nomen ἱεροσόλος optimæ notæ à iudice grauiſſimo indicta cauſſa damnatum, Græciæque finibus excedere iuſſum in Greca lingua retinere conabor. Pro tribunitia igitur poteſtate, qua præditi ſunt omnes, qui profitentur litteras humaniores, intercedo, nec ſino ciuem ciuibus ortum eradi ex ciuium albo. Quod ne cuiquam per uim, non iure factum videri poſſit, teſtem produco omni exceptione maiorem Plutarchum in lib. de Iſide & Oſiride ſub initium, vbi cum Muſarum primam ab Hermopolitis ἶσιν ἅμα καὶ δικαιοσύνην appellari dixiſſet, eã eſſe ait σοφίαν δεικνύουσαν τὰ θεῖα τοῖς ἀληθῶς καὶ δικαίως ἱεραφόροις καὶ ἱεροσόλοις προσαγορευομένοις, Sapientiam ſcilicet, quæ diuina iis arcana reuelaret, qui verè ac iure ἱεραφόροι, ac ἱεροσόλοι appellari poterant. quos, qui ſint, ſtatim docet. οὗτοι δέ εἰσιν οἱ τὸν ἱερόν λόγον περὶ θεῶν πάσης καθαρεύοντα δεισιδαιμονίας καὶ περιεργίας ἐν τῇ ψυχῇ φέροντες ὥσπερ ἐν κίστῃ, καὶ περιστέλλοντες. quibus verbis oſtendit non eos verè cũ vulgo ἱεραφόρους fuiſſe cenſendos, qui κισοφόροι, eſſent, & ſacra in ciſta ferrent; ſed qui ſacra illa arcana ſuæ fidei credita in animo ciruingeſtarent; nec eos verè pro ἱεροσόλοις habendos, qui ſacra veſte linea, candida, καὶ ἀνθούσῃ induti incede

 rent,

rent,ſed qui ita ſentirent de Deo,vt nulla eorum animos ſuperſtitio,nulla eius cultus anxietas ſuperuacanea occuparet.Hinc intelligere licet,quæ uulgo, & communi imperitorum conſenſu corpori tribuebantur, illa fuiſſe à ſapientibus ad animum relata, & κισσοφόρον καὶ ἱεροσόλον ex eorum ſententia dici vtrumque potuiſſe.Quę veterum lexicorum conſarcinatores,dum properant,& in bonorum autorum libris indiligenter verſantur,non animaduertentes, ex hoc ipſo Plutarchi loco, ut iam nemo non videt, ἱεροσόλους interpretati ſunt eos,qui ſacram diuinorum rationem ab omni expurgati ſuperſtitione,ac nimia vacantique ſedulitate, in anima geſtant,perinde ac incapſula quadam.Ab his deinde,qui Græcæ linguæ theſaurum congeſſit, in errorem inductus optimam,& integerrimam vocem corruptam ſibi uideri pronuntiauit,& corruptiſſimæ eius interpretationi pepercit.Sed vt redeam ad Plutarchum, ille in eandem ſententiam paullò poſt eum corporis cultum ad animum traducens,vt philoſophum ait pallium, & barba promiſſa neminem reddunt;ſic ne ἰσιακὸν quidem αἱ λινοστολίαι,ſed aſſidua eorum,quæ in Iſide & Oſiride colendo peraguntur,cõtemplatio. Quos autẽ ſupra ἱεροσόλους dixerat, infra appellauit στολιστὰς, vbi etiam τῆς ἱερᾶς κίστης mentio fit, deque his ferendorum ciſtaſſacrorum cærimonijs agitur, quas ab Aegyptiis mutuatos Athenienſes,ut alia multa, in Atticarum antiquitatum libris,Deo dante,oſtendemus. στολιστοῦ meminit etiam Clemens Alex.li. vi. ſtrom. ſed certum quendam ſacerdotem ſignificans.

Augu-

Auguſtales ludos, quos Tacitus memorat, alios fuiſſe ab iis, de quibus agit Suidas, contra quam Iuſto Lipſio videatur.

Caput III.

TACITVS primo Annalium de Auguſtalibus ludis hæc habet. *Tribuni plebeij petiuere, vt proprio ſumptu ederent ludos, qui de nomine Augusti faſtis additi Auguſtales vocarentur. Sed decreta pecunia ex ærario, utque per circum triumphali veſte vterentur; mox celebratio annua ad Prætorem tranſlata, cui inter ciues & peregrinos iuriſdictio eueniſſet.* Hunc locum Lipſius cum explicaret, videri ſibi pronuntiauit Suidam alludere voluiſſe ad hos ludos his verbis, quæ leguntur in voce, ἄυγουστος. Αὐγουστεῖον ἐκλήθη, διότι. τῇ. ιε τοῦ ὀκτωβρίου μηνὸς οἱ ῥεγεωνάρχαι, καὶ σεβαστοφόροι ἐχόρευον ἐν τῷ ἀυγουστείῳ, ὅιον ἐν τῷ ὀψοπωλίῳ εἰς τιμὴν τιβερίου. Ego vero eo in alia omnia, neque cur à tanto viro diſſentiam cauſſæ aut leues, aut paucæ ſunt. Principio Auguſtalia. iv. Eldus Octobris celebrabantur, vt diſcimus ex veteri Kalendario; Ludi autem à Suida in iv. poſt diem, ideſt in Eldus ipſas reijciuntur. Illa, vt nomen indicat, Auguſti ergo inſtituta; hi Tiberij. Illa à tribunis plebis edita, aut à Prætore peregrino: hi à regionum præfectis, & Sebaſtophoris. Illa in Circo: hi in Auguſtæo, qui locus qua in vrbis parte fuerit adhuc ignoramus. Poſtremò Auguſtalia nihil aliud fuiſſe dicuntur, quam ludi curules, aut venatio; at Suidas chorearum tãtùm mentionem facit. Inter quæ autẽ tot erant diſcrimina, eadem eſſe qui poterant? Extarent veterum ſcripta, vnde hæc hauſit Græcus grammaticus, res clara eſſet. Nũc in tantis tenebris, & veterum, qui ſunt reliqui, annalium ſilentio ſi diuinandum eſt (ſi modo is diuinat, qui multis innititur benè firmis rationib.) hos Suidæ Ludos à Cornelianis alios eſſe pronuntio. Ludos adhuc appello, qui fortaſſe ludi non fuerunt, ſed choreæ tantum, quas ſolemni-

lemnibus Principum diebus,& gaudijs regum adhiberi ſoli tas diſcimus etiam ex Tertulliano, cuius verba Lipſius ipſe affert ad Taciti Annal. libri. xvi. illuſtrandum locum. *Veræ, inquit, religionis homines etiam ſolemnia Imperatorum conſcientia potius, quàm laſciuia celebrant. Grande uidelicet officium focos & choros in publicum educere, uicatim epulari, ciuitatem tabernæ habitu abolefacere. Hæccine ſolemnes dies Principum decent, quæ alios dies non decent?* Idem vir doctus, qui pro choris hic reponit thoros, nihil me mouet. Neque enim thori educuntur in publicum, ſed in templis fiunt lectiſternia; & Suidas apertiùs, quàm vt negari poſſit, choreas agnoſcit, non vllos in propatulo thoros. Porrò choreis vrbem tabernę ſimilem factam vterque affirmat, quod in tabernis olim ſaltare ceſſent ſoliti. Nota illa ſunt è Copa.

Ebria famoſa ſaltat laſciua taberna.

& vinum ſaltationem docuiſſe teſtatur, vt ceteros mittam Tibullus lib. 1. eleg. 7.

Appuleij floridorum libri recenſiti. *Caput IV.*

LIBRORVM Appuleij, quos vulgus appellat floridos, ſi quis eſt, qui, vt nunc editi circumferuntur, ſententiam aſſequatur, næ ille Oedipus eſt noſtri ſæculi. Mihi ſanè cinnus quidã uidetur è varijs fragmẽtis, tã malè inter ſe, ac ne malè quidẽ cohęrẽtibus, vt repræſentẽt ad viuũ Abſyrtũ, aut Hippolytũ fędè laniatos: nec reuocari alia ratione poſſint in vitam, quàm Aeſculapij alicuius ope, viri ſcilicet acri iudicio, neque ſolum in Appuleij libris diligenter verſati, ſed inſtructi etiam veteribus codicibus, quales multi ſunt, vt fuerunt; quos ego cum mirificè

cè captos horum librorum lectione ſatis intelligam ex illo rum ſcriptis, mirari ſæpè ſum ſolitus non admouiſſe ad eos manus,ut uel membra eorum luxata reſtituerent in locum ſuum,uel aliquo ſaltem digererent ordine. Præſtabo ego in re tam ardua, ac deſerta, quantulacumque eſt, induſtriam meam,eò maiore ſpe alios excitandi, quod amplius relinquetur campus alienæ. Atque vt ab indice horum librorũ exordiar,quem ſupra ſignificaui mihi eſſe ſuſpectum,nondũ ſtatui ipſine Appuleio venerit in mentem Floridos eos appellare,an verò Grãmaticis hanc, vt pleraſque alias inſcriptiones debeamus. Nihil enim video cauſſæ, quamobrem in alterutrám pártem quis propendeat. Ac potuit ſanè Appuleius Floridos appellare libros à ſtylo, in quibus res altiùs repeteret,quàm eſſet neceſſe, ornaret omnia, quantum poſſet,deſcriberet autem ferè in poeticum modum:vt videre eſt in aquila initio libri primi,in Pſittaco, in India, in Pythagora; quæreret poſtremò ſummo ſtudio diuerticula, in quibus quaſi exultaret,& luxuriaret oratio.Sed omnia quæcunque hoc indice vulgo circumferuntur ab Appuleio in unum congeſta,& eodem nomine fuiſſe appellata non facilè mihi quiſquam perſuaſerit.irrepſiſſe enim arbitror quædã temerè & per ſummam fraudem in hoc album. Ecce enim quod vulgo initium faciunt quarti libri, nihil eſt aliud, quã proœmium,quo vſus eſt Appuleius publicè dialogum recitaturus & carmina à ſe Græcè & Latinè in Aeſculapium ſcripta,quæ ab eo edita ſi extarent hodie, non dubito, quin eis liceret per hos cenſores ferre ſuffragium in Floridorum tribu,ut pes & caput,ut ille ait,uni formæ conueniret.Primus, & Secundus liber,& quarti finis membra ſunt vnius orationis benè lõgæ.Tertius gratiarum actio pro ſtatua,quam ſibi abſenti Carthaginienſes decreuerant. Quæ hæc obſecro miſcella eſt?Chaos illud uetus poetarum pręhoc Appuleia no nihil ſit,ſi vulgus audias. Miſcentur proęmia orationib. orationibus dialogi, orationes ipſæ in plures libros diducũ

tur,idem omnibus index præfigitur. Quærant Crammatici qui eis credant:ego obduro iu mea ſententiam. Nunc,quod inſtituimus,libros ipſos recenſeamus. Dixi primum & ſecundum vnam eſſe orationem, quod clarius eſt, quàm vt vlla egeat luce. Videamus autem qua de re dicere inſtituat, ut quæ ille dum nimis copioſè perſequitur, reddidit obſcura, nos in pauca contrahentes ob oculos lectorum ponamus. Ait igitur religioſorum uiatorum exemplo,qui luco, aut loco ſancto in via oblato votum poſtulant, donum apponũt, & paulliſper aſſident,tria item ſibi ſanctiſſimam urbem Carthaginem ingreſſo facienda, quæ illis reſponderent: præfandam ueniam,habendam orationem, & inhibendam properationem. Atque hęc totius orationis eſt diſtributio in tres partes. Præfatur autem veniam dum oſtendit,quid ſe properantem adduxerit ad trahendam moram, & habendam publicè orationem:ne quis fortè loquacem eum eſſe diceret,& garrulum,qui ne feſtinans quidem temperare linguam poſſet. Adduxit autem Socratis magiſtri ſui dictum negantis, qui taceret,eum uideri. Quare ut ſe quoque Carthaginiẽſes non oculorum,ſed mentis acie conſiderarent,ſibi committẽdum non fuiſſe, vt urbe excederet priùs, quàm orationem haberet. In illo autem Socratis dicto confirmando & probãdo totus eſt in hac prima parte orationis. Quamobrem ex præcipuis eius capitibus hoc colligitur;ſi res oculis & aſpectu metiamur,futurum ſæpè vt erremus, Nam ni ita ſit,aquilam homine uiſum iri ſapientiorem, quæ in aerem euecta uno obtutu montes,campos,vrbes longè plurimas cernit,cũ homines uix ultra lapidis iactum quidquam videãt. Neque aliud Marſyæ Hyagnidis eius filio,qui tibicen egregius fuit, & primas duas tibias uno ſpiritu inflauit, exitium attuliſſe, quàm hoc præceptum neglectum, aut veriùs ignoratum. Cum enim videret Apollinis veſtem tenuem, mollem,purpuream;Lyram auro,ebore,gemmis variegatam,ipſum coma intonſum,genis gratum,corpore glabrum,vno uerbo luxuria

xuria diffluentem;non potuit animum inducere, vt illi concederet in tibijs canendi pueritia. Prouocauit igitur ad ſingulare certamen,quo victus detracta cute ſtultitiæ ſuæ pœnas dedit.His accedere quòd non ſolùm monumentarij ceraulę tibicines dicebantur, id quod ferre iniquo animo erat ſolitus Antigenidas,ſed huius ipſius rei exempla paſſim obuia erãt in vita.In mimis enim ſimili purpura induti alij pręſidebant,alij vapulabant. In muneribus homines præſidebant,& depugnabant;toga parabatur & uoto & funeri;pallio cadauera operiebantur, & philoſophi amiciebantur; in Theatro denique ſpectabantur funambuli,& comędi; & audiebantur philoſophi. Ex quibus effici vult Appuleius,ut quemadmodum aliquod diſcrimen opus fuit, quo alter horum ab altero dignoſceretur:ſic probi viri improbis permiſti ore & habitu illis perſimiles diſcernendi ſint, ut dicebat Socrates,oratione. Quod ſanè diſcrimen eſſet ſuperuacaneum, ſi, vt moribus receptum eſt apud Indos, quorum in hac re ſapientia omnibus naturæ miraculis, quæ in ea regione plurima ſunt,præferenda eſt,quam quiſque artem noſceret,eam vnam factitaret:aut ſi,quemadmodum cauit edicto Alexander,ne quis imaginem ſuam ære duceret præter Polycletum, coloribus delinearet præter Apellem, cælaret præter Pyrgotelem:ſic extaret edictum de philoſophia, ne quis imaginem eius temere aſſimilaret: neu rudes, ſordidi, imperiti,pallio tenus imitarentur philoſophos, & diſciplinã regalem tàm ad benè dicendùm, quàm ad benè viuendum repertam malè dicendo,& ſimiliter viuendo contaminarẽt. Hucuſque aura ſecunda prouecti ſumus, neque vllum aduerſum flatum experti: in reliquis nobis laborandum erit, ut ea coniungamus,quæ diuulſa ſunt, aut commodam ſaltẽ ex eis ſententiam eruamus.Cum igitur ſuperioribus addidiſſet,nihil eſſe facilius, quam maledicere, nec quemquam ex rupiconibus, baiulis,tabernarijs tam infantem eſſe,ut ſi pallio mentiri philoſophum uellet,non poſſet diſertè maledice

re,miſſa deinde morum vilitate alia fortaſſe dixiſſet de hac linguæ rabie,vt pertexeret id,quod erat exorſus,& oſtenderet non ex ore,ſed ex oratione de hominibus coniecturam faciendam:hæc igitur cum dixiſſet, quæ omninò perierunt, redijt,opinor,velut ex diuerticulo in uiam,& ijs, quæ dixerat,de Indis & Alexandro, addidit neſcio quid de habitu Proconſulis,coram quo dicebat, cuius utrumque extremũ deſideratur.Sed loci integri hæc erat,ni fallor,ſententia.Ornas tu quidem Seueriane hunc habitum proconſularem potius,quàm ornaris ab eo.Nam,quod paucis contingit,inter Senatores claro es loco natus,inter conſulares es bonus, inter bonos es eruditus.Sed vt mittam in pręsẽtia laudes tuas & de ſolo ueſtitu loquar, non cuiuis licet eum arbitratu ſuo uſurpare.At pallium ſanctiſſimæ atque auguſtiſſimæ philoſophiæ inſigne ſumunt uulgo omnes licenter,neque eſt quiſquam,qui uetet,aut eo prohibeat indignos. Hinc fit ut uiæ paſſim perſonent maledictis fictorum philoſophorum, quibus ſanè eſt quod ignoſcamus. Cum enim moribus impuris non poſſint,linguæ rabie,quæ una eſt via reliqua, peruenire tentant ad aliquam hominum exiſtimationem. Poſt hanc, aut non abſimilem ſententiam mihi erui non poteſt, quin ea ſcripſerit Appuleius,quæ in ſecundum librum, non poſsũ dicere quomodo,ſed proculdubio in alieniſſimum locũ irrepſerunt. pag. 417. codicis,quo vtor impreſſo Luteti§ apud Franciſcum Rezeanno M. DCI. *Pariter enim ut qui hærediolum ſterile &c.* Quibus uerbis fictos illos philoſophos qui ea reprehendebant in alijs,in quibus peccabant ipſi, ijs ait fuiſſe perſimiles, qui ex ſterili agello ſuo cum fructum capiant nullum,uictum petunt furto à uicinis:pariter enim hos aliorum infamia obſcuritati ſuę obuiam ire, & carpere alios ut ipſi commendentur. Sed poſterius ſententię huius membrum apud Appuleium integrum non eſt. Suſpicor autem, cum in ſermone de hac re porrò pergeret, uelletque oſtẽdere eos maledictis abſtinere non poſſe,quia nihil aliud pręter

hoc

hoc didicerant: quare aliter reprimi linguæ illud virus non poſſe, quàm ſi auelleretur, aut ipſi pellerentur in exſilium: vſum Appuleium Corui primũ, deinde Pſittaci ſimilitudine qui ſi cõuicia docti fuerint, dieb. ac noctib. perſtrepent maledictis, neque finem vllum facient, niſi aut linguas excidas, aut remittas quamprimùm ad nidos, ac ſiluas ſuas. Quæ de Coruo ſcripſit omnia perierunt, ſed ſcripta quædam cõijcio ex eius verbis pag. 418. Quorum hæc eſt clauſula. *Verùm enim uerò & coruus, & Pſittacus &c.* Vnde enim huc ſubito coruus aduolaſſet, niſi de eo ſupra mentio eſſet facta? Quæ de Pſittaco ſcripſit, omnia ſunt integra. Qui igitur me audiet, hæc quoque, vt ſuperiora transferet in librum primum præfixo aſteriſco, quia ſuperius fragmentum, vt dicebam proximè, iniuria temporum decurtauit. His illa ſunt fortaſſe ſubiũgenda, ad quæ interiunxi pag. 411. *Si quis fortè in hoc pulcherrimo cœtu*, cum ijs, quę ſequuntur vſque ad libri calcem, quibus & maledicos terret, & ex benigna Carthaginienſium præſumptione de ſe, quàm ſit fictorum philoſophorum diſſimilis indicat. Atque hæc prima eſt orationis pars, qua ſe veniam petere dicit. Sequitur oratio ipſa, quam arrepta fortaſſe ex ijs, quæ in priore dicta erant, occaſione habet de ſtudijs ſuis, quæ cauſſa, opinor, fuit vt hinc alter liber exordiũ ſumeret. Quod autem narrat de artibus, quas callebat Hippias, & cum ijs confert ſtudia ſua, & apoſtrophe ad Seuerianum proconſulem, & Honorini legati laudes benè habent. Sed harum poſtrema pars deſideratur. Ab ijs digreſſus redierit oportet ad id, quod libro primo extremo propoſuerat de varietate ſtudiorum ſuorum, ad quam pertinet fragmentum illud, quod legitur in hoc libro pag. 419. *Non enim mihi philoſophia &c.* Quamobrem legati laudib. mihi uidetur ſubijciendum præfixo aſteriſco. Quædam enim non dubito, quin deſiderẽtur. Ad eandem ſtudiorum varietatem pertinet illud quoque quod legitur lib. iv. pag. 440. *Aſclepiades ille, &c.* Quod ita ſuperiori annecto, vt de utriuſque ordine

ne nihil ſtatuam: diuino enim eſt opus, qui ſciat vtrum vtri fuerit præpoſitum. Huius autem poſterioris hæc eſt non admodum obſcura ſententia. Aſclepiades ille medicus tā præſtans, vt ſolus hominem elatum ad rogum viuere animaduerterit, dicere ſolitus erat, vt accepimus, primam crateram ad ſitim pertinere, ſecundam ad hilaritatem, tertiam ad voluptatem, quartam ad inſaniam. At in ſtudijs bonarum artiū longè aliter ſe res habet. Quamobrem ego, quàm potui plurimas, hauſi: atque hinc laudandæ Carthaginis ſumit occaſionem, qui locus fortaſſe integer non eſt. Tria adhuc ſuperſunt è libro ſecundo fragmenta, quibus ſuum nondum aſſignauimus locum. Primi initium eſt pag. 417. *Sol, qui micantem, &c.* Secundi pag. 419. *Hæc, atque id genus alia.* Tertij pag. 420. *Samos Icario in mari.* Secundum fragmentum in ſuum mox locum reſtituemus: primum, & tertiū ingenuè fateor non videre me, vbi ſint reponenda. Sed primum ſuſpicor eſſe alterius libri ſcripti fortaſſe de philoſophia, qui nunc deſideretur. Profectò autem non magis hic aptè collocatur, quàm terra ex prouerbio veteri miſceretur cœlo. Tertium item aut orationis alicuius amiſſæ pars eſt, aut illius, quæ continetur libro tertio, quamquam ſtylus ad primam hanc, qua de agimus, propius accedit; à qua ſi quis eſt, qui non putet eſſe diuellendum, is uideat, an in eo quoque de varietate ſtudiorum ſit ſermo, atque hoc dicat Appuleius, ſe Pythagoram Samium & Platonem vſque adeò ſequutum, vt linguam etiam coercere diſceret, & ab omnibus Seueriani anteceſſoribus non minus opportuni ſilentij laudē, quàm tempeſtiuæ vocis teſtimonium conſequeretur. Sequitur pars orationis tertia de inhibita properatione, cuius initium perijt. Ad eam illa pertinent ex libro iv. pag. 442. *Habet interdum & neceſſaria feſtinatio honeſtas moras &c.* Quod non ſolū eorum, quibus confecta curriculo via eſt opus, probat exēplo, ſed aliquo etiam aut dicto aut facto Cratetis, quod quale fuerit alijs diuinandum relinquo. Deeſt enim poſtrema,

&

& præcipua narrationis pars:quæ autem ad nos peruenit,diuulſa circumfertur. Nam ijs verbis, quibus clauditur liber quartus.*Nec in ea re quidquam efficit conditione*, ſtatim ſubiiciendum eſt illud fragmentum è lib.ij. pag. 419. quod ad hunc locum ſupra reſeruauimus.*Hæc atque id genus alia*,quo inſtitutum de Cratete Sermonem Appuleius perſequitur. In qua re confirmanda non vtar pluribus verbis,cum nihil fingi aptius poſſit.Ex hoc vno loco de reliquis coniecturam facere lectores volo,deq́ue noſtro in concinnandis hiſce fragmentis labore,quem fortaſſe neque ſuperuacaneum fuiſſe, neq; omninò irritum intelliget. Hic libet ſubiicere initium & finẽ ſingulorum fragmentorum eo ordine, quo ea diximus digeri poſſe,vt cadant ſub vnum lectoris aſpectum.

PRIMA PARS ORATIONIS.

	Initium fragm.	*frag. finis*	
pag. 403	*Vt fermè religioſis*	*Diſertius maledicat* *pag.*	411
411	* *Hic.n. plus tibi*	*temerè uſurpare* *	411
417	* *Pariter.n. vt qui*	*ſterilis eſt.* **	417
417	* *Pſittacus India auis*	*ſiluas ſuas remittendus* **	419
411	*Si quis fortè*	*accuratiùs diſputabo*	413

SECVNDA PARS ORATIONIS, & ſi placet Liber Secundus.

pag. 413	*Hippias è numero*	*citò reuerſus eſt* **	417
419	** *Non enim mihi*	*& modo omnicana* **	419
440	*Aſclepiades ille*	*camæna togatorum* **	442
420	*Samos Icario in mari*	*teſtimonium conſequutus* **	423

TERTIA PARS ORATIONIS.

pag. 442	* *Habet interdum*	*efficit conditione*	444
419	*Hæc atque id genus*	*in ſecreto defendiſſet* *	420

Ora-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Orationis Finis deſideratur.

De Tertio Libro, & quarti initio quid ſentiam, ſupra teſtatum reliqui.

Loci aliquot ex iiſdem floridorum libris partim illuſtrati, partim emendati. Caput V.

PERGAM porrò de Appuleio benè mereri, erutaque in lucem totius orationis ſententia, & membris eius, quę erant luxata, repoſitis in locum aut non omninò alienum, aut ſuum, illuſtrabo pręterea quędam, nonnullis adhibebo etiam medicam manum. Sequar autem eum, quem ſupra propoſui, ordinem fragmentorum.

I In iis, primæ orationis verbis, quæ ſub initium legũtur. *Religioſis viantium moris eſt, cum aliquis locus ſanctus in uia oblatus eſt uotum poſtulare:* dant lucem uerſus Ouidii è lib. v. metamorph. quos plerique trahunt inuitos ac repugnantes ad eam adorationem, quæ manu fit ad os admota.

Ecce lacu medio ſacrorum nigra fauilla
Ara vetus ſtabat tremulis circundata cannis.
Reſtitit, & pauido, faueas mihi, murmure dixit
Dux meus, & ſimili, faueas mihi, murmure dixi.

Hæc uoti formula eſt, cum nihil certi petimus à Diis.

II In eadem parte prima vbi de aquila. *Homines verò neq. longulè diſſita, neque proximè aſſita poſſumus cernere.* legendum omninò. *Homines enim,* vt eſt in membranis Bembinis, & ſermonis ἀκολουθία poſtulat.

In

III In eadem parte ubi de Hyagnide ſermo eſt. *Primus læuis & dextris foraminibus, acuto finitu, graui bombo concentum muſi cum miſcuit.* Non placet, *finitu.* modulatio enim vniuerſa graui atque acuto permiſta eſt. In memb. Bemb. eſt, *tinnitu*, omnib. litteris quod quamquàm non proprium, probum tamen eſt.

IV In eadem parte ubi de Marſya. *Hæc omnia,* inquit, *blã dimenta nequaquam virtuti decora, ſed luxuriæ accommodata, circa corporis ſui qualitatem præſe maximam ſpeciem oſtentare.* Obſcurus locus. Coluius teſtatur in m. ſſ. legi *intra corporis ſui qualitatem.* Sed ne hinc quidem ulla lux. In Bemb. membr. eſt. *Contra corporis eius qualitatem per ſe maximam ſpeciem oſtentare.* Ex quibus uerbis optima eruitur ſententia. Comparabat. n. ſe Marſyas, & verò etiam præferebat Apollini. Cum igitur molle eius corpus, ueſtem, Lyram, cantum carpſiſſet, laudaſſet autem ſeſe, quòd erat & coma relicinus, & barba ſqualidus, & pectore hirſutus; concludit poſtremò molliciem nõ eſſe uirtuti decoram, ſed luxuriæ accommodatam: contrà uero ſe illo ſuo habitu corporis nullo cultu aliunde accerſito ſatis eſſe formoſum. Legendum igitur, *contra corporis ſui qualitatem per ſe maximam ſpeciem oſtentare.* Corporis qualitatem dixit poſt Appuleium Capitolinus in Maximo & Balbino.

V In eadem parte ubi de Antigenida. *Itidem ſi munera noſtra ſpectaret.* Appuleius peregrinus Carthaginienſes alloquens non dubito quin dixerit, *veſtra,* & ita eſt in membranis Bemb.

VI In eadem parte ubi de Alexandro ſermo eſt. *Alexandro illi longè omnium excellentiſſimo regi cui ex rebus actis, & auctis cognomentum Magno inditum eſt, placuit, ne niſi vnicam gloriã adeptus ſine laude vnquam nominaretur.* verbum, *placuit,* à Coluio eſt, quo expleri ſententiam mihi non placet. Abſque eo, in quies, claudicat; & verò etiam cum eo. Quid enim obſecro placuit? Sed hoc data opera eſt factum ab Appuleio, qui cũ de Alexandri edicto ſcribere inſtituiſſet, eo nominato ſtatim

tim in laudes eius effudit orationem; cumque tandem repreſſiſſet ſe, proinde atque ſibi excidiſſent ſuperiora, aliud ad idem narrandum ſumpſit initium illis verbis. *Eius igitur Alexandri multa ſublimia facinora.* Neſcio quid ſimile factum animaduerti à Cicerone in ſuaſione legis Maniliæ, vbi agit de Cn. Pompeii virtute. *Non enim* inquit, *illæ ſunt ſolæ uirtutes imperatoriæ, quæ uulgo exiſtimantur, labor in negotio, fortitudo in periculis, induſtria in agendo, celeritas in cõficiẽdo, conſilium in prouidendo: quæ tanta ſunt in hoc vno, quanta in reliquis omnibus Imperatoribus.* Fruſtra hic expectes dum dicat, quænam ſint aliæ uirtutes imperatoriæ. deſerit enim te hiãtem ſummus orator, & oſtẽdit priùs multis eſſe has, quas dixerat, in Pompeio imperatorias uirtutes, deinde ita ad alias tranſit, ut mutilum relinquat ſuperiorem ſermonem. *Quid? cetera, quas paullò ante commemorare cœperam, quanta, atque quàm multæ ſunt?* Ciceronem igitur & alios non paucos optimę notæ ſcriptores imitatus eſt de induſtria Appuleius, qui poſt laudes ita denuò exorditur. *Eius igitur Alexandri,* & quę ſequuntur. Verba illa. *Ne niſi vnicam gloriam adeptus.* ſollicitant membranę Bemb. in quibus eſt. *Ne vbi vir u. g. a.* repono. *Ne uti uir,* Satis aperta ſententia. Neque tamen receptam vulgo lectionem damno.

VII Ibidem. *Eo igitur omnium metu factum, ſolus Alexander vt vbique imaginum ſummus eſſet.* Quid eſt, obſecro, eſſe imaginum ſummum? Nihil. Codex Bemb. quem freqnenter laudo, *Vt ubique imaginiſſimus eßet.* Lego. *imaginis ſimillimus eßet,* & fortaſſe compendiaria nota, ut ſępe aliàs, properantes librarios fefellit. Adoleſcẽs eruditiſſimus, & in his noſtris ſtudiis egregiè uerſatus Ioannes Manganus amicus meus de hac re ita cenſet. *Imaginiſſimus,* uocem eſſe probę notę Gręcę huic reſpondentem εἰκονικώτατος, qua ſignificetur in omnibus ſimulacris Alexandri fuiſſe exactiſſimè, & ad viuum expreſſam eius ſimilitudinem. Quę mihi ſententia eò magis probatur, quòd ſcio Appuleium Gręcorum imitatione admodũ

dele-

delectatum,imò ſciunt omnes, qui ab eius lectione non abhorrent.Iconicos eos, quorum corporis ſimilitudo, aut oris lineamenta erant expreſſa ad viuum,Latini etiam dixere,Plinius præcipuè lib. xxxiv.cap.iv.& lib.xxxv.cap. viij. vt alij notarunt ante me.

VIII In fragmento. iv. *Pſittacus Indiæ auis eſt * inſtar illi minimo minus,quàm columbarum*. Non aſſentior Coluio deeſſe aliquid ſuſpicanti ante verbum,inſtar, quare tollendum cenſeo aſteriſcum : Hoc enim dicit Appuleius. Pſittacus Indiæ auis eſt,tantùm nõ columbæ magnitudine. Apud Virg.quoque in ii. AEneid. *equus inſtar montis*, equus eſt propè montis magnitudine.

IX In ſecunda parte orationis fragmento vltimo. *Samos Icario in mari modica inſula eſt Ex aduerſum Miletos ad occidentem eius ſita.* Lego *Ex aduerſum Miletos ad orientem eius ſita.* Quam quã ſi Geographos audis, ſita eſt ad Boream Samos,è regione Epheſi.

X Ibidem de ſtatua. *Ceruix ſucci plena, malæ vberes, genæ teretes,ac modico mento Laculatur.* memb.Bemb. habent *luculatur* Pariſienſis impreſſus meus, *facies*, Suſpicatus ſum aliquando legi poſſe, *bucculæ*. Sed hanc coniecturam veram eſſe eripuit mihi Manganus meus,& docuit omninò legendum *medio mẽto laculatur*,vt ſcriptum eſt in mẽbranis ſuis;erat enim in pueri mento illa,quæ in multis cernitur,parua lacuna, quæ cum veterum iudicio,tum noſtro,pars eſt pulchritudinis,& mollitiei argumentum.Fateor tamen ſermonis ἀκολουθίαν poſtulare potius, modicè mentum laculatum.

XI In tertia orationis parte fragm. ii. *Cœtu facto maximo exclamat. Crates,inquit,Crates te manumittes.* ſic Virg.xi.Aeneid.

------Lacrimis ita fatur obortis
Tene, inquit, miſerande puer.------

Sic Plato.ἔπειτ οὖν ὁ Ζεὺς, ἀλλ' ἐγὼ, ἔφη, παύσω τοῦτο γιγνόμενον.

XII In lib.iij.Florid. *Id ego arbitror in honore obſeruandum, quem qui laborioſè exorauerit, ſibi debet vnam gratiam, quòd impetrarit: qui ſine moleſtia ambitus adeptus eſt, duplam gratiam præbentibus debet, & quòd non petierit, & quòd acceperit.* teſtatur Coluius in m. ſſ. ſuis fuiſſe. *vna gratia.* in Bemb. eſt. *Nam gratia quòd impetrauit.* Puto legendum. *Quem qui laborioſè exorauerit, ſibi debet, vna gratia quòd impetrauit.* reliqua ſunt clara. Qui enim nec petiit, & impetrauit, nihil ſibi, ſed duplam gratiam præbenti debet.

XIII Ibidem in Apoſtrophe ad Scipionem. *Magis ſum tuæ amicitiæ cupitor, quam gloriator. Nam cupere nemo niſi verè putet, poteſt autem quiuis falsò gloriari.* Coluius legit, *quoniam nemo cupere, niſi verè putet, poteſt.* At ego, ſi tollatur uerbum *putet* clariſſimam fore puto ſententiam. Librarius autem ignorans vtrum verbum eſſet ponẽdum, poſuit vtrumque: religioſè. Sed malim peccare ſemper eos in hanc partem, quam quidquam prętermittere.

XIV Ibidem *Ceterum vox cohibita ſilentio perpeti non magis vſui fuerit, quàm nares grauedine oppletæ.* Hanc lectionem ſanè bonam ſollicitant memb. Bemb. quæ ſic habent. *Ceterum vox cohibita ſilentij perpeti vſu non magis velut, quàm &c.* legi poteſt, *non magis valet.* Reliqua per ſe clara.

XV Ibidem *Auibus hac ſecretaria vt inquam magis congruerint merulis, et luſciniis, et oloribus.* memb. etiam Bembinę, vt Coluianę, habent. *Secretari aut inque.* Poteſt, ni fallor reponi, non incommodè. *Secretaria vtrinque* in aquis ſcilicet, & in ſiluis. In aquis, oloribus, vt hi Arioni reſpondeant, qui in aquis cantauit: in ſiluis merulis & luſciniis, quæ Orpheum imitentur in ſiluis canentem. Erat autem paullò ante facta ab Appuleio Orphei, & Arionis mentio. Locus legendus, in quo deſcribẽdo nota compendiaria librariis impoſuit. Vtrinque ad eundem modum vſurpauit etiam Plin. lib. xiv. cap. xx. *Arborum ſucco manantium picem reſinamq; alię orta in oriente, aliæ in Europa ferunt. Quæ intereſt Aſia, vtrinque quaſdam habet.* Neque illud om

ninò

ninò diſſimile è lib.viii.cap.xlvii.de pecore. *Generatio bimis vtrinque ad nouenos annos.* Item illud è lib.x.cap.lxiii. *Octauo menſe vtrinque generant.* de canibus Laconicis.

Lacuna apud Plutarchum expleta ex Clemente Alex. Horum ſcriptorum loci inter ſe collati. Caput VI.

LEGEBAM nuper verè aureum Plutarchi librum de Iſide & Oſiride, cumque miram quandam è varia ac recondita, qua eſt refertus, eruditione caperem voluptatem, incidi in locum, qui non modò currentem remoratus eſt, verum etiam malè torſit. Is legitur pag. 402. codicis Aldini, quo vtor. Tradito enim apud Aegyptios piſcem odii Symbolum eſſe hæc addit. Ἐν Σάι γοῦν ἐν τῷ προπύλῳ τοῦ ἱεροῦ τῆς ἀθηνᾶς ἦν γεγλυμμένον βρέφος, γέρων, καὶ μετὰ τοῦτο ἱέραξ, ἐφεξῆς δὲ ἰχθύς. ἐπὶ πᾶσι δὲ ἵππος ποτάμιος. ἐδήλου δὲ συμβολικῶς. ὦ γινόμενοι καὶ ἀπογινόμενοι διογέρον. ἱέρακι δὲ τὸν θεὸν φράζουσιν, ἰχθύι δὲ μῖσος, ὥσπερ εἴρηται διὰ τὴν θάλατταν. ἱπποποταμίῳ δὲ ἀναίδειαν. Ac ſententiam quidem huius loci vtcumque aſſequutus immorabar in verbis, nec quidquam cauſſæ comminiſci poteram, cur Plutarchus ſacras illas litteras explicare ingreſſus, & arcanã illarum ſententiam aperire ac patefacere, infantem & ſenẽ his verbis reſpondere docuiſſet, ὦ γινόμενοι καὶ ἀπογινόμενοι, deinde repreſſiſſet ſe, nec reliquas notas ad verba contuliſſet. Præterquàm quòd vox illa διογέρον mihi ſuſpicionem iniecerat, ne Græcum aliquod monſtrum hic lateret, quod vt illa Africana è varijs animantium generibus, ita eſſet ortum & conflatum è pluribus vocibus. Quamobrem conſulere ſtatui Plutarchum miſſum ad nos ante hos paucos annos è Germania, ſi fortè ibi doctorum virorum auxilio conualuiſſet. Spes me deluſit hiantem. Ne ouum quidem enim oui tàm ſimile, vt eſt in prouerbio, quàm codex ille Germani-

cus hac quidem in parte ſimilis Aldini. Rem igitur mecum reputãs attẽtiùs redii in memoriam extare eadẽ hæc apud Clemẽtem Symbola, eorumq́ue interpretationem, qua ſarciri hæc iactura poſſet, arreptoq́ue libro hæc reperi ſcripta in Strom. v. Καὶ μὴν καὶ ἐν διοσπόλει τῆς αἰγύπτου ἐπὶ τοῦ ἱεροῦ καλουμένου πυλῶνος διατετύπωται παιδίον μὲν γενέσεως σύμβολον φθορᾶς δὲ ὁ γέρων, θεοῦ τε ἂν ὁ ἱέραξ, ὡς ὁ ἰχθὺς μίσους, καὶ κατ᾽ ἄλλο πάλιν σημαινόμενον ὁ κροκόδειλος ἀναιδείας. φαίνεται τοίνυν συντιθέμενον τὸ πᾶν σύμβολον δηλωτικὸν εἶναι τοῦδε· ὦ γινόμενοι καὶ ἀπογινόμενοι θεὸς μισεῖ ἀναίδειαν. Ab his Clementis verbis ad Plutarchi lacunam explendam nobis aditus aperitur, eiq́ue manco brachium ſaltem, vt Pelopi eburneum inſerendum, ſi minus carneum, & ſuum, in hunc fermè modum. ἐδήλου δὲ συμβολικῶς. ὦ γινόμενοι καὶ ἀπογινόμενοι θεὸς μισεῖ ἀναίδειαν. Βρέφος μὲν γὰρ γενέσεως σύμβολον, φθορᾶς δὲ ὁ γέρων. ἱέρακι δὲ & quæ ſequuntur. Nam miſerum illum ſenem per impreſſorum væcordiam animam agentem hoc pharmaco ſanitati reſtituimus. Sed hic nodus ſeſe offert conniuentibus oculis non prætereundus. Nam in hac re narranda Clementi in multis cum Plutarcho nõ conuenit. Ille Thebis hoc templum collocat, quæ eadem Dioſpolis, vt Strabo & Diodorus teſtantur: hic in vrbe Mineruæ ſacra Sai nemine. Ille templum πυλῶνα id eſt atrium ait appellatum: hic in προπύλῳ tantùm hæc ſigna fuiſſe ideſt in templi ueſtibulo. Ille Crocodilum: hic equum fluuiatilem ſiue Hippopotamum impudentiæ Symbolum agnoſcit. Ac facilè quidem, quod ad πυλῶνα ſpectat, lis dirimi poſſet. Cum enim Clemens ἐπὶ τοῦ ἱεροῦ ſolùm dixerit, Plutarchus addens ἐν τῷ προπύλῳ rem apertiùs narrare potuiſſet, certam etiam templi partem indicans, ubi illa animantia eſſent collocata Quod non impedit quin templum illud certo cognomine πυλὼν dici potuerit, illudq́ue ipſum eſſe, de quo ſupra à Clemente erat ſcriptum. τῶν αἰγυπτίων ἱερέων οἱ σοφώτατοι τὸ τῆς ἀθηνᾶς ἕδος ὕπαιθρον ἀφάγισαν ſcilicet ſapientiſſimos Aegyptiorum ſacerdotes

Mineruæ

Mineruæ templum à ceteris diſcreuiſſe nullo tecto illi impoſito, aut illud ſine tecto reliquiſſe. Qui enim hic ἀθηνᾶς ἕδος Mineruæ ſimulacrum ſunt interpretati aliud egiſſe videntur cum Strabonem legerēt li.xvii. negantem in templis Aegyptiorum eſſe ξόανον οὐδὲν ideſt vllum ſimulacrum, aut ſi eſſet οὐκ ἀνθρωπόμορφον. ἀλλὰ τῶν ἀλόγων ζώων τινὸς εἶναι. templum igitur potuit πυλὼν appellari, quod ſingulariter eſſet ſub dio in atriorum morem. Quare quod ad hanc attinet controuerſiæ partem poteſt facilè confici negotium. Sed quam reliquarum tollendarum rationem inibimus? Mihi mehercule nihil venit in mentem in præſentia, quod probare poſſim. De his igitur veteribus ſcriptoribus inter ſe conciliandis, ſi poteſt, alii cogitabunt. Ego interim arbitror dictum illud Clementis de templo Mineruæ ſine ullo tecto non ad vnum pertinere, aut ad alterum eius deæ, ſed ad omnia, quorum celeberrima eſſent hoc Thebaicum ab areæ fortaſſe amplitudine πυλὼν appellatum, & illud Saiticum, vt in vrbe Mineruæ ſacra, quęque à Minerua Sai, teſte Pauſania, ab Aegyptijs dicta nomen accepiſſet. In ſingulis igitur, quę Plutarchus & Clemens ill.s tribuunt, fuiſſe.

L. Flaccum conſulem à Fimbria occiſum uideri.
Caput VII.

ERVNT fortaſſe qui putēt non admodùm magnam fieri iacturam, ſi quid in hiſtoria anno vno aut altero ante, aut poſt geſtum dicatur, quàm reipſa geſtum ſit; cum exiguum diſcrimen Iuriſconſulti quoque parui faciant, & fides ac religio exigenda ſit ab hiſtoricis præcipuè in reipſa prodenda, quæ ſeges futura eſt ac materia prudentiæ. Ego tamen illorum ſententiæ ſum, qui ferendum in hiſtoria nihil cenſent diſcrepans à vero, ſed reddenda omnia temporibus ſuis: cum multum interſit non modò

quo quidque anno, ſed quo etiam mēſe geratur, & quo die.
Puto igitur me opera pretium facturum, ſi Velleij Paterculi errorem coarguero tradentis L. Flaccum non conſulem, ſed conſularem à Fimbria interfectum. cum præſertim iam penitus inſederit hic error in Romana hiſtoria tectus autoritate ſummorum uirorum, à quibus eſt Appianus, qui à Velleio diſſentit, mendacij condemnatus per ſummam iniuriā. Anno igitur ab V.C. DCLXVII. C. Marius. vii. C. Cinna. ii. conſules fuerunt. Mario autem Idibus Ianuariis uita functo, ut eſt in Epit. xxc. ideſt intra. iii. & x. conſulatus diem, aut ſi Plutarchū audimus. xvii. ſuffectus eſt L. Valerius Flaccus is, de quo agimus, quem Cinna miſit in Aſiam, ut Syllæ ſuccederet. Hæc ex ea, quam dixi, Epit. xxc. & xxcii. & ex ipſo Velleio collecta eò pertinent, ut omnes intelligant tàm mature deceſſiſſe Marium, vt Flaccus in eius locum cōſul creatus comparare ſe ad bellum, & traiicere in Aſiam potuerit in conſulatu. Nunc traieciſſe reipſa oſtendo. Primum ex Plutarcho in Sylla hęc ſcribente. *Μετὰ ταῦτα πυνθανόμενος (Σύλλας) φλάκκον ἀπὸ τῆς ἐναντίας στάσεως ὕπατον ᾑρημένον διαπερᾶν τὸν ἰόνιον μετὰ δυνάμεως λόγῳ μὲν ἐπὶ μιθριδάτην, ἔργῳ δὲ ἐπὶ ἐκεῖνον, ὥρμησεν ἐπὶ θετταλίας ὡς ἀπαντήσων.* Deinde ex Cicerone pro Flacco. *Vnum atque idem erat tempus, cum L. Flacco conſuli portas tota Aſia claudebat, Cappadocem autem illum non modò recipiebat ſuis vrbibus, verùm etiam ultro uocabat.* Strabo deniq́ue lib. xiv. hæc habet. *συνεπέμφθη δὲ ὁ φιμβρίας ὑπάτῳ οὐαλερίῳ φλάκκῳ ταμίας προχειρισθέντι ἐπὶ τὸν μιθριδάτην.* Et ne fortè quis credat conſulem quidem traieciſſe in Aſiam, ſed à Fimbria interfectum anno ſequenti, hæc addit. *Καταστασιάσας δὲ, καὶ ἀνελὼν τὸν ὕπατον ἐν Βιθυνίᾳ αὐτὸς κατεστάθη κύριος τῆς δυνάμεως.* Florus quoq́ue Epit. xxcii. anno DCLXIV. quo ex Chronologia Liuiana Flaccus conſul fuit, hæc ſcripta reliquit. *Flaccus conſul collega Cinnæ miſſus ut Syllæ ſuccederet, propter auaritiam inuiſus exercitui ſuo à C. Fimbria legato ipſius ultimę audaciæ homine occiſus eſt, & imperium*

rium ad Fimbriam tranſlatum. & Epit. ſeq. *Eodem anno. C. Fimbria in Aſia fuſis prælio aliquot copijs Mithridatis vrbem Pergamum cepit, obſeſſumque regem non abfuit multùm, quin caperet. Vrbem Ilium, quæ ſe poteſtati Sullę reſeruabat, expugnauit, ac deleuit, & magnam partem Aſię recepit.* Hæc igitur à Fimbria ſunt geſta eodem anno, quo Flaccus conſul fuit. quid ſequatur nemo non uidet. His adde, quòd de Flacci itinere & aduentu in Bithyniam eſt aliquid ab hiſtoricis memoriæ proditum, ut ab Appiano in Mitridat. & à Memnone in hiſtoria Heracleotica: at de rebus ab eo geſtis mirum apud omnes ſilentium, ut non minùs ſit uериſimile eum morte præuentum vix quidquam cœpiſſe, quàm ſit incredibile totum primum annum otioſè ſedendo in Bithynia ab eo conſumptum. Non potuit igitur falli Appianus, qui conuenienter tot magnorum uirorum teſtimonijs prodidit conſulem Romanum à Fimbria interfectũ. Sed Velleiũ quid potuit inducere in errorem? an quod in Flacci locum nemo factus eſt conſul? cum mos eſſet uno extincto ſuffici alterum in eius locum. Sanè prodit Memnon Senatum, quamquam non probabat Fimbrię acta, perfeciſſe tamen diſſimulata indignatione, vt conſul crearetur: ſed mihi nõ perſuadet. Appiano malo credere, qui lib. 2. de bell. Ciu. vita functo Valerio Flacco collegam ſibi à Cinna cooptatum tradit Carbonem. Nec tamen impedio, quin amplius quæratur, cum de hoc quoque ſit aliquis dubitandi locus. Illud etiam in medio relinquo C. Fimbria legatuſne fuerit Flacci, an equitum præfectus, an quæſtor. Incertum enim autores faciunt. Liuius legatum, Velleius pręfectum equitum, Strabo quęſtorem vocat. Potuit autem eſſe legatus ſimul, & pro quæſtore, vt fuit Dollabellę C. Verres Cicerone teſte ſemel & iterum in prima actione.

Cona-

Conatus emendandi locos duos è Ciri Virgiliana. *Caput VIII.*

EXPERIRI libet hoc capite, quid præſtare poſſim in loco uno aut altero Ciris Virgilianæ. Primus locus eſt vbi exponit poeta, quid Minoë impulerit ut Megaram Niſi regiam oppugnaret his uerſibus.

Hanc urbem ante alios, qui tunc florebat in armis,
Fecerat infeſtam populator remige Minos,
Hoſpitioque ſeni fuit, Hippolydoſaque victo
Carpathium fugiens, & flumina Cerataa
Texerat. Hunc bello repetens Gorynius heros
Attica Cretæa ſternebat rura ſagitta.

Ex tàm corrupto verſu, quàm eſt ille tertius, quid ſibi poeta velit, eruere difficile atque arduum eſt. Cum autem quęrerem anxiè quid pro illo monſtro, *hippolydoſaque* migrare coacto ex illo verſu reponerem, incidi Apollodori bibliothecam legens in fabellam ſanè lepidam & elegantem, & quod caput eſt, à re propoſita adeo non alienam, vt leuiſſima coniectura in Virgilianum hunc locum detiuari poſſit. Narrat igitur is, quem dixi Apollodorus lib. iii. Glaucum Minois filium pueriliter murem captantem in mellis cadum prolapſum obiiſſe. Eius rei cum nemo eſſet conſcius, nec puer diu quæſitus vſquam inueniretur, cepiſſe conſilium Minoem, ne operam diutius perderet, Curetas conſulendi; illos reſpondiſſe habere eum in armento uaccam tricolorem, quam qui ad uiuum poſſet repreſentare, in eius manu eſſe filium illi viuum reſtituere. Multis igitur uatibus in vnum conuocatis cum vnus Polyidus Cęrani filius eſſet repertus, qui colorem vaccæ rubi moris aſſimilaret, cum ne quidquam tergiuerſantem

rem coactum inueniendi pueri negotium ſuſcipere. Iam verò vt inuenerit, vtque inuentum Draconis exemplo reuocarit in vitam nihil opus eſt dicere. Minos rediuiuo filio recuperato vatis artem admiratus mirum in modum, non eſt paſſus elabi ſibi tantam occaſionem è manibus, ſed cum arderet Polyidus in patriam remeandi deſiderio (Argiuus erat) negauit Minos ſe eum priùs admiſſurum, quàm vaticinandi arte puerum imbuiſſet. Id verò ille negare ſe facturum: Rex contrà comeatum non dare. Tandem vidit Polyidus id, quod erat, ſi certare pertinacia pergeret cum rege, præcidi ſibi omnem patriæ videndæ ſpem. Ad eũ igitur dolo aliquo circumueniẽdum animum appulit: & excogitata ſolerter ratione, qua ſcientiam vaticinij puero traditam eriperet arbitratu ſuo, regi morem geſſit, atque ab eo dimiſſus eſt. Iamq; in eo erat Polyidus, vt nauim conſcenderet, & vela ventis permitteret, cum dolo malo Glaucum iubet deſpuere in os ſuum, quo facto prouidebat fore, vt eum totius artis caperet obliuio: Nec feſellit vatem euentus. Nam proinde ac ſi vaticinandi ſcientiam expuiſſet, in poſterum Glaucus vaticinari deſijt. Id ego Minoem, vt par erat, iniquo admodum animo tuliſſe arbitror, & dediſſe operam, ne id à ſe inultum auferret Polyidus. Cum igitur Megaram ſe is recepiſſet ad Niſum regem, quocum ſibi auitum erat hoſpitium, nec Minoi ad pœnas repoſcenti redderetur, bellum inde ortum eſſe, quo de hic agit Virgilius. Hæc mea de hoc loco eſt coniectura, quã nemini obtrudo inuito. Quòd ſi quempiam amatorem inuenerit, is poetæ verſus reſtituat ad hunc modum.

Hoſpitio quo ſe Niſi Polyidus auito
Carpathium fugiens & flumina Curetaa
Texerat.--------

Qua ratione minimùm ab ijs recedet integræ lectionis

veſtigijs,quæ ad huc in quibuſdam codicibus ſunt reliqua, in quibus ita ſcriptum eſt illud carmen.

Hoſpitioq; ſenis Hypolydoſa uicto.

Scio Glaucum ex aliorum ſententia in vitam reuocatum ab Aeſculapio,ſed poetarum inconſtantiam nihil moror.Polyidi meminit præter Palæphatum & Hyginum,qui in nonnullis diſſentiũt ab Apollodoro,Pauſanias in Atticis,vbi eũ Megaram veniſſe tradit, & Clemens primo Strom. Argis & Megaris vaticinando floruiſſe, multamque in Tragœdijs factam eius mentionem memoriæ mandauit.Nũc veniamus ad alterum locum,quem minore,vt ſpero,negotio emendabimus.Poeta poſt multos verſus à ſuperioribus Cirim facit amore ſæuo ſauciam deſcendere furtim è lecto, & ſuſpenſo veſtigio properare ad purpureum patris crinem detondendum, in quo vrbis à Minoe oppugnatę fortunam poſitam fabulatur.Sentit nutrix eam ſurgere,& reſerare fores. Quamobrem rata id,quod erat,egredi puellam cubiculo,extemplò eam corripit,agitque cũ ea multis verbis,ut ſibi aperiat conſilium ſuum,tandemque

——Molli vt ſe velauit amictu,
Frigidulam iniecta circumdat ueſte puellam,
Quæ prius in tenui ſteterat ſuccincta corona.

Corruptus eſt locus,ſed adeò leuiter,vt una interpũctio, quę deſideratur,ſuo loco addita ſanet orationem. Nam verſus poſterior ſic eſt diſtinguendus.

Quæ prius in tenui ſteterat,ſuccincta corona.

Surrexerat enim è lectulo puella tenui ueſte ideſt ſubucula induta, & tereti Strophio luctantes vincta papillas,vt Catullus canit. Strophio namque, ſiue corona noctu quoque mam-

mammas cohibebat. Illud prætere a in his verſibus dignum eſt animaduerſione, quod ait poeta in ueſte illa tenui, quam ne cubitum quidem itura deponebat, puellam ſtetiſſe, altera autem iniecta circundatam à nutrice. His enim verbis duo ſunt veſtis genera expreſſa, vnum in quod corpus induebatur, alterum quo inuoluebatur circumiecto. Illum, indutum ſiue ἔνδυμα, hunc, amictum, ſiue περίβλημα, aut περιβόλαιον, dicunt. In veſte illa tenui Ciris ſtabat, quia illa indutu, vt ueteres loquebantur, corpus comprehendebat: altera iniecta circumdabatur, quia erat amictus. Hic erunt fortaſſe, qui nodo in ſirpo inuento accuſet Virgilium, quòd puellam æſtate frigentem inducat: hoc enim anni tempore, maris ęquor, vt cum poetis loquar, claſſes arant; hieme autem ab eo abſtinent. Sed non abhorret à vero teneram puellam, partim cõſcientia impii facinoris, quod moliebatur, partim pudore, ac nutricis reuerentia, à qua erat deprehenſa, ſubitò obriguiſſe.

De mutuis Archytæ & Platonis Epiſtolis apud Laertium.
Caput IX.

EXTAT apud Laertium Archytæ illius Tarentini ad Platonem epiſtola in Archytæ uita hoc argumento: Factum benè, quòd conualuiſſet, ſeque de ea re certiorem feciſſet: Ocelli commentarios, quos inuenire potuiſſet, miſiſſe: reliquos cum primùm inueniſſet miſſurum. Huic Laertius reſcripſiſſe Platonem tradit hac sẽtentia: Accepiſſe miſſos ad ſe commentarios, & admiratum ingenium ſcriptoris: mittere contrà ſuos, quos per litteras poſtularat, quamuis nondum ſatis expolitos: De cuſtodia in vtrumque conuenire. Quęro adhuc in ſuperiore illa Archytæ epiſtola uerbulum unum, aut unam litterulam de Platonis commentariis, quos ille mitti ſibi viciſſim poſtu

laſſet, aut de cuſtodia: & quia inuenire non poſſum, adducor vt credam, non illis ſuperioribus, ſed aliis Archytæ litteris Platonem hac epiſtola reſpondiſſe: aut ſaltem Archytę epiſtolam integram non eſſe: aut poſtremò hac vna duabus eius epiſtolis Platonem reſpondiſſe; de quo certè fueramus admonendi. Sed ſolens facit Laertius, ut ſit parum diligens.

Iuuenalis loci duo illuſtrati. *Caput X.*

IVVENALIS Satyra.vi. qua ſexum muliebrem fœdè lacerauit, ſummates matronas narrat inter cetera noctu lauari, ac ſudare ſolitas, atque eſſe tandiu in balineis, vt miſeri conuiuæ dum illas expectabāt, ſomno, & fame enecarentur. Deinde ſubdit de vna, ex qua ſpectari omnes vult.

Tandem illa uenit rubicundula totum
Oenophorum ſitiens, de quo ſextarius alter
Ducitur ante cibum rabidam facturus orexim.
Dum redit, & loto terram ferit inteſtino,
Marmoribus riui properant, aurata Falernum
Peluis olet. nam ſic tamquam alta in dolia longus
Deciderit ſerpens bibit, & vomit.----

Hunc ipſum æui illius corruptiſſimi morem notat Plin. li. xiv. capit. xxii. qui hac quidem in parte grauior mihi, ac triſtior Iuuenale cenſor videtur. De ijs autem agit, qui bibendi cauſſas ſolerter excogitabant. *Cautiſſimos, inquit, ex his balineis coqui uidemus, exanimeſque efferri. Iam uerò alios lectum expectare non poſſe, imò uero nec tunicam; nudos ibi protinus anhelos ingentia uaſa corripere, ac plenè infundere, ut ſtatim euomant.* De viris, vt nemo nō videt, ſermo eſt, quibus erant mulieres in perferēda ſiti paul

lo

lò fortiores. Apud eũdem ſcriptorem de eadem re lib.xxix. cap.primò hæc leguntur. *Illa perdidere imperij mores, quæ ſani pa timur, luctatus, ceromata, balineæ ardentes, quibus perſuaſere in corpori bus cibos coqui, ut nemo non minus ualidus exiret, obedientiſſimi uerò ef ferrentur. Potus deinde ieiunorum, ac uomitiones, & rurſus perpotatio nes.* Athenæus etiam meminit lib.xv.ſub initium. *ζήτησις ἦν, περὶ τῶν ἀποκοτταβιζόντων, οὓς οἰηθείς τις τῶν παρόντων ἰατρῶν εἶναι τούτων, οἱ ἀπὸ βαλανείου καθάρσεως ἕνεκα τοῦ στομάχου πί- νοντες ἄμυσιν ἀποβλύζουσιν, ἔφη οὐκ εἶναι παλαιὰν ταύτην πα- ράδοσιν, οὐδὲ εἰδέναι τινὰ τῶν ἀρχαίων ταύτῃ τῇ καθάρσει χρησά- μενον. διὸ καὶ Ἐρασίστρατον τὸν Ἰουλιήτην ἐν τῇ περὶ τῶν καθόλου πραγματείᾳ ἐπιτιμᾶν τοῖς τοῦτο ποιοῦσιν, βλαπτικὸν τῶν ὀφθαλ μῶν τὸ ἐπιχείρημα δεικνύων, καὶ τῆς κάτω κοιλίας ἐπισχετικόν.* Ex quibus verbis intelligere licet multò ante in Gręcia hoc uſu receptum, quàm Romæ. Plin. enim lib. xxiii. cap. primo nouitium inuentum appellat. & lib.xiv.cap.xxii.ſcribit Tibe rio Claudio Principe ante illos.xl.annos inſtitutum, vt ieiu ni biberent, potuſque vini antecederet cibos. At Græci etiã ante Eraſiſtratum ieiuni uinum ſumebant. Is potus multimo dis nocebat; hebetabat enim viſum, & aluum ſiſtebat. Tamẽ ſi medicos audires, multa crederes ex eo capi commoda; ex citari appetentiam, cibos concoqui, ſtomachum purgari. Quorum primum tetigit Iuuenalis. ſecundum eius interpres tertium Athenæus & Iuuenalis, dum lautum potu illo inteſti num ſcribit. Quem locum egregiè corrumpunt, qui lutum, aut luteũ reponẽdũ cẽſẽt. Quãuis enim qui uinũ immodicè hauſerant, mingendo leuarentur: hoc tamen nihil ad Iuuena lem, cuius peluis Falernum redolet, non vrinam. Vinum autẽ à ieiunis hauſtum hodieque in Italia vulgo, ſtomachum la uare dicimus, & qui hoc faciũt, *lauarſi, o ſcialaquarſi lo ſtomacho.* Antequàm concludam hoc caput, illuſtrabo alterum eiuſdẽ poetæ locum è ſat.vii.u.197.

Si fortuna uolet fies de Rhetore conſul,
Si uolet hæc eadem, fies de conſule Rhetor.

Illu-

Illuſtrabo inquam Valerii Liciniani uerbis, quæ refert Plin.lib.iv.epiſt.xi. *Quos tibi fortuna ludos facis? facis enim ex profeſſoribus ſenatores, ex ſenatoribus profeſſores.* Cui ſn̄iæ tm̄ bilis, tā-tū amaritudinis ineſſe ait Plinius, ut ſibi Licinianus exſul de Senatore ideò profeſſus uideatur, vt hoc diceret.

Murenæ quomodo exoſſentur. Plauti loci illuſtrati.
Caput XI.

COQVOS olim ſi quis fuiſſe grammaticos Athenęo non credit, at mihi experto credat afferri quędam poſſe è culina bonis autoribus illuſtrandis. Vel id, quod à coquo Romę accepi de exoſſandis Murenis, ut locum Plauti illuſtrat in Amphitruone.

Mirum niſi hic me quaſi murænam exoſſare cogitat.

Et alterum in Pſeudolo.

Exoſſabo ego illum ſimiliter itidem, vt murænam coquus.

Murænas enim aiunt ſubtilibus ſpinis vſque adeò eſſe refertas, ut eſui non ſint, ni eximantur: eximendarum autem hanc eſſe rationem. Principiò bacillo probè cædi, deinde læua capite apprehenſo, dextra à ſummo deducta ad imam caudam, quàm poteſt maximè comprimi: ſic ſpinas omnes ad unam in caudam contractas unà cum ea reſecari, & guſtaturos liberari omni moleſtia. Exoſſare igitur ut Murçnam eſt, fuſte benè dolare, vel oſſa vſque eò comminuere, vt nullum ſit reliquum eorum veſtigium; omninò autem, ut ſuadet libido, aliquem uexare.

De vetere vrbis ambitu accuratè contra Iuſti Lipſÿ ſententiam diſputatatum. Halicarnaſſei, Pliniÿ, Vopiſci loci obſcuriſſimi illuſtrati. Caput XII.

QVONIAM diuerſis temporibus diſpar fuit vrbis magnitudo, nec diuinare licet in tanto veterum annalium ſilentio, quantum eam ſinguli amplificarint, à quibus eſt pomerium prolatum; in hac de antiquo illius ambitu diſputatione, ea tantum examinabo ueterum teſtimonia, quæ extant; unum Halicarnaſſæi, alterum Plinii, tertium Vopiſci, ex quibus probè intellectis procliue erit coniicere, quibus gradibus, & progreſſionibus ad tantā amplitudinem peruenerit, quantam ei tribuit is, quem modò dixi Vopiſcus Aureliano imperante. Dionyſius igitur lib. iv. Rom. Ant. de Vrbis ambitu ſcribit in hanc ſententiā *Seruius Tullus regum vltimus urbem amplificauit ad quinque colles duobus auſpicatò additis: neque vlteriùs adhuc proceſſit urbis ędificatio, diuino, vt aiunt, numine, aut fato non permittente. Suburbia autem, & magna, & multa nuda à muro ſunt, eaque hoſtis, ſi quis adueniret, facilè caperet. Hæc in exquirenda vrbis magnitudine qui ſpectarit, erret neceſſe eſt: neque enim certum vllum ſignum habebit, quo iudicet, quouſque vrbs progrediatur, & unde non eſſe amplius urbs incipiat, adeò vrbanis ædificia, quæ in agro ſunt, nexu perpetuo cohærent, & ſpectantibus porrecta in infinitam lōgitudinem urbs uidetur. Quòd ſi mœnibus difficilibus quidem inuentu propter ædes, quibus concluduntur multis ex partibus, veſtigia tamen quædam veteris ſtructuræ multis in locis ſeruantibus eam uoluerit metiri, cum Athenarum ambitu, quo Aſtu continetur, collatus Romæ ambitus maior paullò apparebit*. Hæc ille de urbis magnitudine, quæ erat Seruio Tullo regnante, anno conditæ circiter. CC. quę vt rectè intelligantur, ponendum eſt Romam à Dionyſio cum ſolis Athenis, non cum Piræeo, Munychia & longis muris conferri,

ferri,cum libro ſecundo Veios quoque magnitudine Athenis propè pares faciat,nec ſit uériſimile in ijs regionibus per ea tempora duas urbes intra. c. ſtadia, vt uult Halicarn. li. ſecundo,aut clx. vt Liuius lib. quinto, in circuitu.v. & xx. Paſſuum. M. patuiſſe.Prǽterquàm quòd qui Aſtu dicit, ille proculdubiò ſolas Athenas ſignificat.Sed Athenarum quãtus ambitus fuit? Millium paſſuum ſeptem.D. vt palam eſt ex Thucydide, eiuſque uetere ſcholiaſte : apud illum enim libro ſecundo hæc leguntur. τοῦ κύκλου (τοῦ ἄστεος) τὸ φυλασσόμενον τρεῖς καὶ τεσσαράκοντα (στάδιοι ἦσαν) ἔστι δὲ αὐτοῦ ὃ καὶ ἀφύλακτον ἦν, τὸ μεταξὺ τοῦ τε μακροῦ, καὶ τοῦ φαληρικοῦ (τείχους) In quem locum Schol. notat eam murorum partẽ, quæ nullis cuſtodibus firmata erat, ſtadiorum ſeptendecim fuiſſe,ambitum autem vniuerſum ſtadiorum lx.Si ergò Veii Dionyſio paullò minores Athenis;ad vii. M. P muro complexi ſunt , vt Patauium hoc tempore: ſi Roma Athenis paullò maior;viii.circiter M. P. collegit, quantas nunc eſſe Venetias ferũt. Sed antequàm abeo ab hoc Dionyſii loco, operæ pretium me facturum arbitror, ſi nodum quendam ſoluero,qui remorari lectorem poſſet,eique negotium faceſſere.Videtur enim apertè negare Dionyſius vrbem auctam poſt Seruium Tullum ad ſua vſque tempora. *Nec vlteriùs*, inquit,*adhuc proceſſit urbis ædificatio*.Id autem uerum eſſe, qui poteſt?cum primò à Sulla, deinde à C. Cæſare, poſtremò ab Auguſto prolatum pomerium conſtet, & quidem anno ante quàm hæc Dioniſius ſcriberet. Oritur hic ſcrupulus ab eorum ſententia,qui ſibi & aliis iamdiu perſuaſerunt, unà cum pomerio muros urbis plerũque ampliari ſolitos;quod tamẽ à uero abhorret quàm longiſſimè. Tres enim fuerunt vrbis augendę rationes.Prima hæc ipſa, quam commemoraui:Secunda,cum muri non ampliato pomerio ſunt producti.Tertia,cum nulla eſt facta ad ueterem murorum ambitum acceſſio,quamquam pomerium proferretur. De prima ita Liuius ſcribit libro primo vt ſatis indicet eam uſu apud veteres

fuiſſe

ſuiſſe receptam, æuo autem ſuo deſitam. *Pomerium*, inquit Varronem notans lib. quarto de ling. lat. *Verbi vim ſolam intuentes poſtmœrium interpretantur eſſe. Eſt autem magis circa mœrium locus, quem in condendis vrbibus quõdam Etruſci, quà murum ducturi erant, certis circa terminis inauguratò conſecrabant: vt neq; interiore parte ædificia mœnibus continuarentur, quæ nunc vulgo etiã coniungunt; & extrinſecùs puri aliquid ab humano cultu pateret ſoli. Hoc ſpatium, quod neq; habitari, neq; arari fas erat, nõ magis quòd poſt murum eſſet, quàm quòd murus poſt id, pomerium Romani appellarunt: & in vrbis incremento ſemper, quantum mœnia proceſſura erant, tantum termini hi conſecrati proferebantur.* Hanc augendæ urbis rationem longo interuallo Neronem retuliſſe ſuſpicari ex eo licet, quòd pomeriũ ab eo ampliatum tradit Vopiſcus, & vrbis muros,cum deflagraſſent Suetonio teſte in Ner. cap. 38. laxiores ab eo reſtitutos docti viri credunt. De altero autem vrbis incremento hæc apnd Vopiſcum legimus in Aureliano. *Muros vrbis Romæ dilatauit, nec tamen pomerio addidit eo tempore, ſed poſteà.* Tertiam poſtremò vrbis augendæ rationem Sulla,Cæſar,Auguſtus vſurparunt,à quibus eſt pomerium prolatum, non ampliatis mœnibus: atque hoc docet Dionyſius illis verbis. *Vlteriùs adhuc non proceſſit vrbis ædificatio.* De muris.n.ſermo eſt, intra quos ponit Auentinum vnum è ſeptem collibus,qui tamen adhuc erat extra pomerium. Id cum à Sulla primùm eſt ampliatum,cœpiſſe arbitror ſublata religione vulgo ædificia mœnibus coniungi, quod factum ſuo ſæculo Liuius, & Dionyſius teſtantur. Atque hæc cauſſa fuit,cur Græci ſcriptores in rebus à Sulla vſque ad Neronem geſtis narrandis, non τειχῶν, ſed πωμηρίου aut ὁρίων mentionem fecerint. πωμήριον Latinorum pomeriũ eſt, quod Græci non poſſunt, niſi multis verbis exprimere. ὅρια autem ſunt conſecrati illi termini, quos memorat Liuius,& Tacitus li.xii.& effati vrbis fines, de quib. Agellius lib. 13.cap. 14. & ante eum Varro de lingua latina lib.v. Sic Dio lib. xxxix. Craſſum non muris, ſed pomerio egreſſum

ſcribit.& lib.xliii. Cæſarē tradit pomerium protuliſſe.& lib. lv. Auguſtū τὰ τοῦ πωμηρίου ὅρια auxiſſe,quod proculdubiò facere potuit non ampliatis mœnibus,quamquam verbo uis afferretur,illud appellando pomerium, cui nihil cum muris rei eſſet. Sæpe .n. obſeruaui à formę ad generis ſignificationem verba migrare coacta; vt interius id dici,quod breuius ſit,quamquam non propius;& imperatorem, qui benè rem gerit,quamquam non ſuis auſpicijs;& ſexcenta alia ad eundem modum. In horum numero eſt habendum pomerium, quocum una cur muri non ſint ampliati, docet Dionyſius il lis verbis.δαιμονίου οὐκ ἐῶντος. Sullæ enim Cæſari, & Auguſto non modò pomerium, ſed etiam muros proferre volentibus aues non addixerunt. Scio eundem Dionyſium lib. viii.τὸ δαιμόνιον diſcernere ἀπὸ τῶν οἰωνῶν: ſed fortuna, quā hic ſignificat,nullum in pomerio habet locum;aues habent, vt Liuius & Dion. teſtatum reliquerunt, & earum garritu, & volatu putauit antiquitas ſignificare Deos, quid fieri vellent. Fuit autem hęc pomerij prolatio magno uſui; qui enim intra eos fines habebant domicilium,hi, quāquam extra muros,in vrbe tamē cenſebantur.Proferebatur præterea ſpatiū,intra quod captari poterant auſpicia vrbana,quę autore Varrone quarto de lingua latina, pomerio definiebatur.Intra eos terminos habere cēturiata comitia erat nefas. Qui imperatores re bene geſta ad triumphum veniebant,ijs intra eos fines pedem inferre non licebat,ſed dabatur extra eos Senatus,in quo de rebus à ſe geſtis differerent: Id quod ab Auguſto,& quidem κατὰ τὰ πάτρια,ideſt more maiorum factum Dio tradit li.xlix.atque hoc fuit per illud tempus eſſe ad vrbem.Magiſtratus prætcrea Auguſti ſęculò non niſi pomerio egreſſi imperii inſignia capiebant; ipſe imperator extra pomerium proconſul dicebatur, eodem autore li. liii. Plures pomerii ſine muris prolati uſus commemorare nihil eſt opus.nam & ex his,quid Sulla,Cęſar,& Auguſtus ſpectarint,poteſt intelligi, & pręſtat occurrere ijs, quibus mirum uidebi-

videbitur, cum eſſet pomerium verus ac legitimus vrbis finis, maluiſſe Dionyſium vrbis amplitudinem mœnibus metiri. Sed hi mirari deſinent, cum animaduerterint ſequutum in eo Halicarnaſſ. receptum apud pleraſque omnes gentes vrbes mœnibus cenſendi morem, quem uideo placuiſſe etiã Iuriſconſultis, à quibus eſt proditum vrbis nomen muris; Romę uerò continentibus ędificiis cõtineri: de qua re uſq; è Gallia nobiliſſimus & cùm iuris, tùm antiquitatis totius egregiè peritus NICOLAVS FABRICIVS me ſibi peramicè monẽdum putauit. Supereſt adhuc unus ſcrupulus, quem cum lectori exemero, ſatis, opinor, hic Dionyſii locus erit illuſtratus. Liuius enim lib. xli. extremo, Auentinũ extra portam Trigeminam, ideſt extra ueterem murorum ambitum indicat fuiſſe: at Dionyſius contrà eum męnibus includit. Sed nullo negotio lis hæc dirimi poteſt. Liuius .n. murorum interiore gyro, quem ſequebatur pomerium, vrbẽ definiuit: Halicarn. autem neglecto, vt dixi, pomerio, ſolos habuit propoſitos muros, qui Auentino urbi addito erãt amplificati: fuit enim Auentinus intra duos muros, ueterem, quo vrbs ante Ancum Marcium vallata erat, & nouũ, quo à Marcio eſt munitus, & pars vrbis factus. Priſcus igitur Romanorum murorum ambitus is fuit, Dionyſio teſte, quem diximus, quo cum haud paullò maior urbi tribuatur à Plinio libro tertio cap. quinto, ſuperuacaneum eſt admonere actum ab eo, non de uetere illo Dionyſii, ſed de alio quodã, qui erat ſuo ſæculo. Hic quantus fuerit nunc quærẽdum eſt; & audiendus primo loco Plinius ex impreſſorũ codicũ fide.

Mœnia eius (Romæ) collegere ambitu Impp. Cenſoribuſque Veſpaſianis anno conditę DCCCXXVIII. paſsuum xiij. M. CC. Complexa montes ſeptem ipſa diuiditur in regiones xiv. compita earum cclxv. Eiuſdem ſpatij menſura currente à milliario in capite fori Romani ſtatuto ad ſingulas portas, quæ ſunt hodie numero xxxvij. ita vt xij. portæ ſemel numerentur, prętereanturque ex ueteribus ſeptem, quæ eſse deſierunt: efficit paſsum per directum xxx. M. DCCLXV. Ad extrema uero tecto-

rum cum caſtris Pratorijs ab eodem milliario per uicos omnium uiarũ menſura colligit paullò ampliùs lxx. M. P. quo ſi quis altitudinem tectorum addat, dignam profectò æſtimationem concipiat, fateaturque nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuiſſe ei comparari. Poteſt hic locus diſtribui in quinque partes, quarum ſecunda illis verbis comprehenſa. *Complexa montes ſeptem, ipſa diuiditur in regiones xiv compita earum cclxv.* Illuſtrabitur alibi. Quatuor reliquæ eò maiorem lucẽ deſiderant, quòd virum doctiſſimũ, qui in libris de magnitudine Romana eas illuſtrandas ſuſceperat, torſerunt vſque adeò, vt multa illi extorſerint, meo quidem animo à vero abhorrentia. Quę cùm examinari, atque excuti interſit rei litterariæ, ne quis fortè pro ſalutari pharmaco bibat venenum, & pro Iunone, vt ille Cẽtaurus, nubem amplectatur, ſuſcipiam libens in ſtudioſorũ gratiam hunc laborem; & proponam primùm magni illius uiri ſentẽtiam, deinde rationum momenta, quib. in eam eſt adductus, expendam; quæ cum oſtendero fuiſſe leuiſſima, tùm demum quid ſentiam ipſe de hoc loco obſcuriſſimo aperiam. Principiò igitur notas omnes numerorum, quibus expreſſa, & repræſentata eſt à Plinio vrbis magnitudo, vir doctus falſi ſuſpectas habet, & pro iis alias reponit. Primam vt damnet, & corruptam cenſeat, facit manuſcriptorum librorum, & Leandri autoritas. Illi enim non ut impreſſi. xiii. M. P. ſed xxx. habent. Leander autem atque alii ſuperioris ætatis xx. M. legerunt. Eas tenebras, quas huic loco variè ſcripti, atque impreſſi libri offudere, diſcutit Lipſius face adhibita aliorum ſcriptorum, qui Romanæ urbis ambitum memoriæ commẽdarunt. Primum Olympiodori, in cuius excerptis apud Photium legimus, Romanæ urbis murum menſuratum ab Ammone Geometra, quo tempore Gotthi primam inuaſionem fecere, habuiſſe ſpatium vnius & xx. Milliarium. Deinde Martini Poloni in Chronico prodentis in circuitu Romę eſſe milliaria xxii. pręter Tranſtyberim, & Leoninam ciuitatem, cum quibus dicitur habere xlii. milliaria. Hos igitur

auto-

autores ſequutus,poſſe putat Plinianas numerorum notas reſtitui priſtinæ integritati,ſi legatur. *Mœnia collegere ambitu paſſuum xxiij.M.*aut,ſi placet,*xxij:*parum enim eſt,inquit,in vno, alteroq; milliari. In tertio deinde loci huius Pliniani mēbro, vbi uulgo legitur.XXX. MDCCLXV. deceptos putat librarios, & pro millenariis notis, denarias nobis repſētaſſe, vt ſępę aliàs.Illas igitur reuocās legit.∞ ∞ ∞ DCCLXV. & admonet his uerbis de dimetiēte agi,cuius mirā quādā cū Pliniano vrbis ambitu à ſe reſtituto eſſe ꝓportionē oſtēdit.Si .n. à milliario in capite fori ſtatuto sūt ad ſingulas portas.iii. M.P. DCCLXV.ergò plena diameter eſt vii. M. DXXX. hæc uerò ter ſumpta ambitum reddit paſſuum. xxii. M. D. quem Plinius rotundè expreſſit xxii. aut xxiii. M. ſcribens. Quartæ parti eodem,quo ſuperior,morbo laboranti, eandē uir doctus adhibet medicinam.Reiicit igitur.lxx.M.paſsuū quę impreſſi codices nobis obtrudunt, & reponit.vii. M.cōuenienter ſuperioribus Plinii menſuris, & Martini uerbis. Agi autem hic putat de ædificiis,quæ mœnibus erant in orbem circumiecta,& Romæ non clauſæ muris ambitum memorię mādari.Huius igitur ſemidiameter fuit.vii.M.paſsuū; Plena xiv. Ambitus,qui ter diametrū continet. xlii. quē ambitum apertè urbi tribuit Martinus Polonus ueterem aliquē ſcriptorem ſequutus,cum ſuo ſæculo Roma proculdubiò tāta non eſſet.Eundem confirmant,quanquam paullò obſcuriùs Victor, & Rufus in ſingularum regionum dimenſione, quarum omnium ambitus ſi in vnum colligatur,illum ipſum propemodùm conficiet,qui urbi muris non clauſæ hic à Plinio tribuitur. Hæc ille, quę tantam ueri ſpeciem habent, vt non dubitem fore multos,qui mirentur falſa mihi uideri potuiſſe. Sed hos ego oratos volo, ne de re tàm ardua atque obſcura me inaudito ſententiam ferant. Cauſſæ autem, cur eam in alia omnia, & fruſtra ſuſceptum Plinii emendandi laborem mihi perſuadeam,hæ ſunt. Quod enim ad primam emendationem ſpectat,ſi eorum, qui laudātur manuſcripto

rum codicum fidem ſequimur, xxx.M.ſunt retinēda.Quòd ſi in eo librarii peccatum agnoſcimus, quid eſt quod repudiata lectione,quæ in multis extat ueteribus codicibus, alteram ex ingenio reponamus? cum præſertim alibi quoque ex.xiii.ſint facta.xxx.Caſaubono teſte in Suet. Auguſti Caput.85.& hæc ipſa corrupta xxx. M.Paſſ. menſura nos certis veſtigijs ad veram xiii. M. manu ducat. Eſt enim pronus è tredecim in terdecem lapſus,ideò ex his notis.xiii.illæ sūt factæ. xxx. fuiſſe autem ante multa ſæcula omnibus litteris hoc in loco ſcriptum tredecim,non autem notatum, ſuſpicari ex eo licet,quod adhuc in Plinio, *ducenta*, ſcripta ſunt ad eundem modum, non ſolùm in calamo exaratis codicibus, ſed in pleriſque etiā omnib.impreſſis; atque adeò ille ipſe,à quo ego diſſentio, vir doctus hanc ſcribendi rationē religio sè ſeruauit:at xxiii. à xxx. abſunt longiùs, vtcumque ſcribantur.Non laboro,inquies,de hac verborum,aut notarum ſimilitudine;mihi ſatis ſuperque eſt,hanc recentem emendationem veterum teſtimoniis confirmaſſe. Ego verò neque illam arbitror eſſe omninò ſpernendam, & hæc longè maximum ad ueritatem habere momentum fateor; ita tamen ſi de vna,eademque vrbis magnitudine Plinius, & ceteri ſcriptores agunt, ex quibus ille emendatur: in hoc enim totius rei vertitur cardo. Sed hoc lōgè ſecùs mihi uideri ſolet. Nā Olympiodorus collegiſſe vrbem ambitu. XXI. M.Paſſ.affirmat. Martinus Polonus.XXII.Plinius.XXIII.quæ tres menſuræ cum diſcrepent apertè inter ſe,ſanè ego,pingui ingenio ſim,ſi mihi eas pro vna eademque obtrudi patiar. Qui autē Plinium.D.paſſus inſuper habuiſſe affirmat,vt rotundam sūmam conficeret,& XXII.ſcripſiſſe,qua ratione illi conuenit cum Martino,& ab Olympiodori menſura minimùm receditur;accuratiſſimo illi ſcriptori id tribuere videtur, quod ille apertè repudiat,ac reiicit. Cum enim in omnibus eius codicibus,ſiue illi.XIII.ſiue XXX.M.præſeferant,huic ſummæ addantur paſſus.CC. quæro vnde illi huc irrepſerint, ſi Plinius

nius rotundè.XXII.aut XXIII.M.ſcripſit. Quæro etiam,qui fieri poſſit, vt qui hoc loco paſſuum quingentorum rationē ſibi habendam non cenſuit,in tertia parte paſſus. LXV. ſibi omittendos non putarit. An obſcurum cuiquam eſſe poteſt Plinii conſilium,vrbis magnitudinem exactè nobis repræſentandi,& ne exigium quidem paſſuum numerum omittendi?Sed eſt quod ſingulariter hanc Olympiodori cum Plinio collationem mihi ſuſpectam reddat.Cum enim Plinius apertè de ea urbis magnitudine agat,ad quam Cenſoribus Veſpaſianis peruenerat; Olympiodorus autem de ea, qua erat Honorio imperante; antequàm certò ſtatuatur de eodem ambitu actum eſſe ab vtroque, etiam atque etiam videndū eſt,qui poſt Veſpaſianos, & ante Honorium imperarunt, & vrbē auxerunt, vt Traianus,vt Aurelianus,& nōnulli alij an muros amplificarint. Illud quoq; de quo relictus eſt aliquis dubitandi locus,aut veterum teſtimonijs, aut rationibus cōfirmandum fuit,Honorium,cum ſeptennio ante,quàm à Gothis obſideretur, vrbem muniret, mœniaque eius vetuſtate collapſa inſtauraret, à veteris ambitus non diſceſſiſſe ueſtigiis.Hæc duo quoad erunt incerta, & obſcura,tandiu hāc Plinij cum Olympiodoro collationem nauci non faciam. Martinus autem de Vrbis magnitudine vera prodiderit necne,quæram infrà ſuo loco:hic ſatis erit vrgere virum doctum, qui eius teſtimonio vtitur, confeſſione ſua, & docere de alio urbis ambitu actum eſſe à Martino, atq; à Plinio. Hic enim quærimus,quot millia paſſuum mænia vrbis ambitu collegerint:Martinus autem de alterius Romæ non clauſæ mœnibus circuitu agit,quem fuiſſe affirmat XLII.M. paſſuum, ea ratione vt expatiantium tectorum eius urbis partis,quę erat cis Tiberim,ambitus eſſet XXII.M.P.eius autē, q̄ erat trās Tiberim,xx.Hęc aūt quid ad rē,qua de agitur?nihil.Ego verò,inquies,Martini dictū ſecus accipio. Quod.n. prodit ī circuitu Romę eſſe milliaria. xxii. de mœniū ambitu ſcriptū eſſe arbitror;Quod verò addit unà cū Trāſtiberina regio-

gione, & Leonina ciuitate hēre. XLII. milliaria, id uerò meo quidē animo ad Romā nō clauſā mçnib. pertinet. Sed ò bone, regio Tranſtiberina nonnè fuit vrbis pars muro vallatæ? Quæro igitur cur Martinus hanc partem in ambitu mçniū prodendo ſibi negligendam putarit? Quæ dum affertur, & ſimul oſtenditur ratione habita huius regionis aut nihil ad ambitum XXLI. M. paſſuum accedere, aut paruum quid, nec magnificiendum; ego intereà quæ de tertia dicuntur Plinii verborum parte examinabo. Hic ait uir doctus ex dimetiente colligi vrbis ambitum. Sed qui poteſt? cum menſura currat à milliario, quod in vrbe media non fuit. Videtur, inquit, olim fuiſſe. At Notitię Imperii, & Victori nō uidetur, qui, illud ab vrbis vmbilico, ut nomine, ſic locorum interuallo diſiungunt. Sed eſto tamen, inquit, non exactè in medio, quid refert? non ſic γεωμετρικῶς omnia, & ad lineam, regulamque ueteres metiuntur. Hoc ille dat, nec videt, ſi à milliario ad ſingulas portas æquum eſt interuallum. III. M.DLXV. paſſuum, neceſſariò fatendum eſſe milliarium, non umbilicū fuiſse in urbe media, & præterea non potuiſse citra vllum errorem ex dimetiente colligi urbis ambitum, niſi muri in abſolutiſſimum geometricum circulum fuiſsent explicati. Sūt igitur, & non ſunt omnia ad lineam, regulamque dimenſa. Hic fateor e neſcire me utram ſententiam vir doctus magis probet. Videtur utramque, aut cogitur potiùs: Sed cum pugnēt apertè inter ſe, alteram reiiciat neceſse eſt, & rationes, quibus illa innititur, diluat. Præterea ſi de diametro ſermo eſt, illis Plinii verbis quid faciemus? *Ita ut xij. portæ ſemel numerentur, prætereāturq; ex veteribus vij. quæ eſſe deſierunt.* Hic quoq; hęreo, nec poſsum omni ſtudio expiſcari quidquam, quod ad diametrum faciat. Vellem tantus vir obſcuris veterum locis illuſtrandis natus rudiorum ingenijs hac etiam in parte conſuluiſſet, atque hęc quoque ut reliqua Plinii verba explicaſset. In quarta etiam Plinii uerborum parte multa ſunt, quę in magni uiri ſententiam euntes quaſi manu iniecta remorari

morari

morari poſſint. Principiò enim ſi Dionyſio credimus, ædes ſuburbanæ perpetuo nexu inter ſe cohærẽtes productę erãt in infinitam longitudinem, vt certò ſciri non poſſet, quouſq; ſe vrbs extẽderet, aut vbi vrbs eſſe defineret; & Romę Suburbia Tybur, Ariciam, Ocriculum proceſſiſſe memorię proditum eſt. Quare docere oportuit virum doctum, quomodo Plinius extrema vrbis tecta intra ſeptimum milliarium à foro collocarit, & cur partem illorum Romę tribuerit, partem non tribuerit, cum tamen extra muros æquè eſſent omnia. Deinde quid eſt quod monet de caſtris prætoriis, quæ uix mille quingentos paſſus à foro abſunt? quid illis rei eſt cum extremis tectis & expatiantibus, ſi cum vrbis mænibus cohærent? Præterea qui vicos viarum omniũ perambulet, hũc cine quiſquam credet laborare de vrbis diametro? At uici nobis viarum omnium pererrandi, vt metiamur urbis magnitudinem vnà cum Plinio. Martinum Polonum cum riſu miror ſcribentem in Chronico ſuo in circuitu Romæ eſſe milliaria. XXII. præter Trãſtiberim & Leoninam ciuitatem cum quibus dicitur habere. XLII. milliaria. Scio enim Chronicum illud multis eſſe refertum ſomniis, & anilibus fabulis, quas nemo, opinor, dixerit eſſe ab antiquis. Quare nec tème rè illi fidem habeo, neq; habendam cẽſeo, præſertim in hac re, in qua mendacem prodit ipſe ſeſe, & tanquam ſorex indicio ſuo perit. Quàm multò enim poſt Veſpaſianum Leo, qui Vaticano muris cincto, ſuo vocabulo partem illã vrbis appellauit? Sed demus hoc nomine per illa tempora frequẽtato Vaticanum ſignificari: nego adhuc Tranſtiberinam regionem vnà cum Leonina hac ciuitate. XX. M. paſſuum in circuitu patuiſſe; ſtemus autem Victoris teſtimonio, quod apud virum magnum, à quo ego diſſentio, debet eſſe grauiſſimum cum eius autoritate & Martinum, & ſententiam ſuam tegat. Victor igitur Tranſtiberinam regionem, non, ut ille ait, Auẽtinum, aream etiam Vaticanam, ſeu Leoninam ciuitatem cõplexam continere in ambitu ſcribit pedes XXXIII. M.

CCCCLXXXIX. Detrahenda ſunt ex hac ſumma minimùm. VI. M. quia Tiberis ad Orientem & meridiem hanc regionem ambit, quà hęc pars vrbis ei, quæ cis Tiberim eſt, pontibus iungitur. Horum VI. millium pedum Martino Plinium ſequuto nulla ratio habenda fuit. Superetunt pedes XXVII. M. CCCCLXXXIX. quæ ſunt circiter quinque millia paſſuum D. atque hęc ſunt, quæ Martinus vult eſſe. xx. M. Agè verò de illa Victoris ſumma nihil detrahamus; pedes xxxiii. M. CCCCLXXXIX. ne integra quidem conficiunt ſeptem milliaria; tredecim reliqua Martini vbi ſunt? Sanè tantùm abeſt, vt hæc ab vllo veterum habuerit, vt cum illis etiam pugnet. Cum vno fortaſſe, inquies, at ipſe alios ſequitur autores. Quos autem? Audeo dicere veterum neminem, non dicam ſcripſiſſe, ſed ne ſomniaſſe quidem eam Romæ partem, quę vltra Tiberim eſt, tantam fuiſſe, quantam ille facit. Cum enim colles ſeptem, Palatium, caſtra, ingẽtes illas ędificiorũ moles pleraſque omnes, adhęc ſuburbia Ocriculum, Tibur, Oſtiam vſque producta, cis Tiberim fuiſſe communiconſenſu omnes tradant, fieri non poteſt, quin iidem prodiderint multò hanc vrbis partem ea, quæ trans Tiberim erat, fuiſſe ampliorem: Qui autem Martinum ipſum audire cupiũt hæc à ſe à veteribus hauſta negantem, remoneant fidiculas, neque vlla eius verbis adhibeant tormenta. *In circuitu*, inquit, *Roma ſunt* (nolim diſtorqueas, & interpreteris fuerunt) *Milliaria xxij. præter Tranſtiberim, & Leoninam ciuitatem, cum quibus dicitur habere* (ne hoc quidem oportet interpretari habuiſſe.) *xlij. Milliaria*, ita erit negotium confectum. Quęret quiſpiam: Quid illi igitur venit in mentem res à veritate vſque adeò abhorrentes mandare memoriæ? Quæro ego iamdiu hoc ipſum de reliquis fabulis, quæ ſunt ab eo in Chronico illo proditę. Sed tamen, quod ad hãc ſpectat, ſuſpicari libet hęc ab eo ſcripta, antequàm Romam videret, cum multa de eius magnitudine fando accepiſſet: id quod non obſcurè illis

ver-

verbis ſignificat. *Cum quibus dicitur habere,&c.* Penes famam igitur fides huius rei ſit; nam Martinus fundus eſſe recuſat. Famæ credat, qui ignorat creſcere hoc monſtrum eundo, & ad remotos populos res mirè à veritate alienas perferre. Quòd ſi hæc ab eo, cum iam Romam vidiſſet, ſcripta ſunt, aut cum in ea traheret moram, næ ille, ſupra quàm dici poteſt, incurioſus & indiligens fuit in eius amplitudine exploranda, aut mendax & confidens in prodenda. Vt vt eſt, nihil certi reperio, nihil firmi in hoc eius teſtimonio, & labare neceſſe eſt omnem emendationem, quæ tàm infirmo tibicine fulciatur. Poteſt autem vir doctus, ſi aliàs vnquam, nunc illud vſurpare Adriani de Commodo. *In caducum parietem incubuimus.* Sed quid ad Victoris, & Rufi teſtimonia dicemus? qui vrbis regiones ſingillatim dimenſi Transtiberinæ, vt dixi, xxxiii. pedum millia tribuunt, Circo Flaminio xxx. multis xiii. aut xiv. omnium minimę xi. M. Nonne ex his iūctis ingens ambitus exurgit, & propemodùm is, quem vir doctus reponit? Ingens ambitus, ſed qui nihil ad Plinium. Nam præterquàm quòd vterque, vt volunt, ſub Valentiniano & Valente ſcripſit poſt auctam à Traiano, & ab aliis Romam; neuter ea parte tantùm, qua męnia attingebant, Regiones dimenſus eſt, ſed qua etiam in ipſis vrbis, vt ita dicā, viſceribus, altera alteri erat finitima: alioqui earum ambitū qua ratione colligere potuerint, non video, cum forum Romanum, Templum pacis, Via lata, Palatium, Circus maximus, Iſis & Serapis longo ſpatio à muris, & multò longiore ab extremis ſuburbiorum tectis abſuerint. Erant enim in urbe media, & à reliquis regionibus ad muros vſq; porrectis cingebantur. His accedit quod regionum ambitū metienti per eadem ſpatia bis ſaltem recurrendum fuit. Nā verbi cauſſa, in Palatij & Circi menſura, quæ conterminæ ſunt vrbis regiones, Palatini collis radices, vt fines vtriuſq; bis ſumantur neceſſe eſt; ſemel in Palatij, iterum in Circi ambitu colligendo. Vna eademq; ratio reliquarum. Non mo-

dò, igitur Victor, & Rufus nullam firmant in Plinio emendationem, ſed infirmant etiam,& vulgatæ lectioni fauent. Agè enim ſeponamus ſex illas regiones, quæ, cum eſſent in vrbe media,ab extremis tectis vndiq; aberant:detrahamus Tranſtiberinæ illam ambitus partem, qua Tiberi cingebatur, & reliquis item dimidiam tantùm,ob eam,quam dixi, cauſſam circuitus partem tribuamus:ſupererũt pedes circiter lxx. M. qui eſt ille ipſe propemodùm ambitus, quem nos in Plinio retinendum putamus. Dixi hactenus quid non probem,nũc aperiam ſententiam meam verecundè ſanè,ac timidè.Quid .n.ego me ſcire poſtulem, quod prætereat Lipſium? Sed cum bona ſpe fore, vt quicumque hęc legent, ęquos mihi ſe iudices præbeant; & ſi à vera huius loci ſententia aberraro, conatum ſaltem meum æqui boniquе faciant. Principiò nihil eſſe arbitror in Plinij verbis, quod ad magnitudinẽ quidem vrbis ſpectat, quod emendatione admodum egeat. Deinde agi ab eo puto de Roma tantùm mænibus clauſa; de ſuburbijs autem illa tantùm ſcripta. *Expatiantia tecta multas addidiſſe vrbes*, præterea nihil. Poſtremò interioris, vt ita dicam,vrbis magnitudinem ex quatuor pręcipuè capitibus colligi:ex ambitu,ex vijs,ex vicis,ex tectorũ altitudine. *Mœnia collegere ambitu Imperatoribus Cenſoribusq. Veſpaſianis anno conditæ.DCCCXXIIX.Millia paſſuum XIII.CC.* Ad uias illa pertinent. *Eiuſdem ſpatij menſura currente &c.* Si enim alteram eius ſpatii, quod mœnibus continetur, metiendi rationem ineamus, vt menſura currat à milliario ad ſingulas portas per vias, quę ad eas ferunt, fient per directum. M. paſſuum. XXXDCCLXV.ideſt vt clariùs dicam,& apertiùs,ſi quem forte cepiſſet libido ſciendi, quãtum ſoli murorum ambitus is,de quo dixerat, interiùs complecteretur, eum voti compotem aliqua ex parte futurum,ſi interualla inter milliarium in urbe fere media ſtatutum; & ſingulas portas in unum coegiſſet, quod tantum erat, vt ſi explicari, ac dirigi potuiſſet, viæ rectæ.xxx. paſſuum MDCCLXV.longæ par eſſet.Ob

ſerua-

ſeruaui autem Pliniũ ipſum Circum maximum metitum ad hunc eundem modum, aut ſpatia veriùs in eo cōfecta à curſoribus libro ſeptimo cap. xx. *Nunc quidem in Circo quoſdam. CLX. M. Paſſuum tolerare non ignoramus.* Quid enim? tantuſne Circus fuit Romæ? Non fuit. Sed omnia ſpatia à curſoribus in eo confecta, ſi in directum potuiſſent explicari, fuiſſent ipſa clx. M. paſſuum. Quod autem addit de xii. portis ſemel numerādis nō eſt ingenuitatis meę diſſimulare vſque adeò eſſe obſcurum, vt nondũ peruidere potuerim, quid ſit. Multa venerunt in mentem, ſed nihil fuit, quod admodùm probarem. Niſi fortè eam rationem, qua hunc locum earum, quæ nunc ſunt, Romæ portarum exemplo illuſtrabam, quis ſibi omninò reiiciendam non putat. Ea eſt huiuſmodi. Qui à Conſtantini Thermis diſcedit, eum vna eademque uia per Quirinalis & Viminalis dorſum, ſiue per altam ſemitam ducit ad portam Viminalem, quæ nunc ſanctę Agnetis, & Collinam, quę nunc Salaria appellatur. Viminali proximus, ad quam recta uia fert, qui paullulùm deflexerit ad lęuã, Collinam ſtatim videbit. Rurſus à Velabro profectus qui viam ingrediatur, quæ inter Palatij radices patet, & Vallem eam, in qua fuit Circus maximus, magnam illius partem emenſus dicere non poterit, ſe ad portam Latinam tendere potiùs, quàm ad Capenam: Eadem enim via ad vtramque fert, quę longo à foro interuallo in duas finditur, quarum dextera ducit ad Capenam, ſiniſtra ad Latinam. Huiuſmodi Plinii ætate ſuſpicabar portas. xii. fuiſſe, ad quas longiſſimo à foro interuallo communis ferret uia, cuius viæ à milliario ad ſingulas portas ſpatii menſuram in vnum colligenti ſemel tantùm habendam eſſe rationem Plinius moneret. Nec quidquam me commouebat, quòd is portas diceret, non vias: mox. n. cum portas aliquot diceret eſſe prætereundas, videbã uias ſignificare uoluiſſe, quæ ad eas portas ferrent, quarum uiarum negaret in hac menſura habendam eſſe rationem. Neque iniuria: abierant enim in vicos. Teſtis Victor, qui in re-

gione

gione Piſcinæ publicę uicos reponit portarum Rauduſculā nę & Næuię, qui vici patētibus illis portis vię proculdubiò fuerāt. Ecquis erit cui nō maxima videatur illa urbs,à cuius foro profectus ad ſingulas portas ampliùs quàm XXX.M. paſſuum conficiet? ſit igitur hoc alterum de Romę clauſę mœnibus amplitudine teſtimonium. Quarta pars ſequitur, quę de vicis eſt,illis verbis comprehenſa. *Ad extrema verò tectorum &c.* Si quis enim ab eodem milliario digreſſus vicos uiarum omnium perambulans ad extrema tectorum mę nibus proximorum perueniat Caſtro Prętorio non pręterito, is intra urbem paullò amplius. LXX. M. paſſuum conficiet. Extrema tectorum accipio intra vrbem: fortaſſe enim Plinij ętate ędificia męnibus non coniungebantur, ſed reuocata, opinor, à Nerone antiqua religione pomcrij, interiorē parte murorum puri aliquid ab humano cultu patebat ſoli. Quare in hac tertia vicorum menſura aduſq́ue mœnia progredi nihil opus erat, cum uici ipſi vltra extrema tecta non progrederentur. Caſtrum autem Prętorium non excludit Plinius, quia muris vndique cinctum vrbis męnibus coniungebatur, in quibus porta erat, qua in ipſum ab Vrbe ingreſſus patebat, cuius in Romæ portis numerandis ratio habenda fuit, quę tamen à multis habita non eſt. Poſtremo loco ne quid prętereat Plinius, unde vrbis magnitudo intelligi poſſit, animaduertere etiam nos vult, non modò quàm lata fuerit, ſed etiam quàm alta, quantum ſcilicet ędes in altum ſe extulerint. Is enim demum dignam Roma ęſtimationem concipiet, qui intellexerit, quantum illa & ſoli & aeris occuparit. Hęc de Plinii loco. Reliquum eſt ut de rara, imò inuſitata vrbis magnitudine agamus. Scribit enim Vopiſcus ab Aureliano vrbem vſq́ue eò amplificatam, ut męnia in circuitu ad L.M.P. paterent. Id quod rident multi vt falſum, ſibiq́ue obtrudi poſſe negant: Pàuinius prçcipuè in Vrbe Roma, qui exiſtimat àut eſſe mendum in numeri nota, aut Vopiſcum quid diceret non intellexiſſe. Ioſephus Bonfadius cla-

rus

rus peritia multarum artium, & in his ſtudiis noſtris verſatus egregiè, quo ego Greçę linguę magiſtro uſus ſum, ad corru ptum Vopiſcum quod attinet, it in Panuinii ſententiam, & pro quinquaginta, quinque & viginti reponendum cenſet. Sanè autem receptam lectionem, quę conuellere videantur multa ſunt. Vrbis primùm amplitudo propè incredibilis, de qua cum cogitamus, obiicit ſeſe animo regionis potiùs ſpecies, quàm vrbis. Deinde murorum, quos tradit Victor in Aureliano fuiſſe validiſſimos, minimè veriſimilis ruina ante annum à conditis. CXXXV. cum Roma à Gotthis capta collegit ambitu vnum & uiginti milliaria, vt ſuprà Olympio dorus teſtatum reliquit; imò verò ante annum viii. & xxx. cũ iuxta vrbem ad Muluium pontem victus eſt à Conſtantino Maxentius, quam pugnàm qui produnt veteres hiſtorici portam Flumentanam ibi collocare uidentur, vbi nunc ſita eſt. Sunt contrà, vt in re probabili, quę pro uulgata lectione dici poſſint. Nam teſte eruditiſſimo Casaubono, propè. L. habent libri omnes manuſcripti, quorum conſpirationem quis ignorat nòn temerè eſſe contemnendam? Cumque Vopiſcus anno ab vrbe aucta. xvii. Romæ agens Aureliani uitam ſcribendam ſuſceperit (is annus fuit à Christo nato. CCLXXXXI. cum muri eſſent ampliati. CCLXXV.) cui poterit perſuaderi maluiſſe eum ętate ſua explodi ab omnibus, atque exſibilari, quàm uidere poſteritati quid prodeſſet? Nam quod aiunt eam vrbis amplitudinem nonmodò vero eſſe maiorem, ſed ueri etiam fide, id poteſt refelli Neronis exemplo, qui Suet. teſte cap. 16. Oſtia tenus vrbis mœnia promouere voluit; quo facto non fuiſſet multò Romæ ambitus. L. Paſ. M. minor. Quæ autem potuit Romam æquè ampliare paranti, quamquàm non eadem ratione, Aureliano ſeſe obiicere difficultas, quæ eum retardaret? Vereri certè nõ potuit, ne quod eſt in prouerbio, magna vrbs eſſet magna ſolitudo; cum tradat Dionyſius Romæ Suburbia patuiſſe tàm latè iam tùm, cum ſcriberet hiſtoriam Augusti euo,

vt

vt nullus propè eſſe videretur vrbis finis: & prodat Plinius expatiantia tecta multas Romę addidiſſe urbes. Ne murum quidem Romanis opibus per L. P. Millia ducere arduum fuit. Id perſuadent cùm ruinę reliquę molium immenſarũ, tũ veteres ſcriptores; Spartianus pręcipuè, qui Adrianum teſtatur murum in Britannia per.lxxx. paſsuum M. duxiſse, qui barbaros Romanoſque diuideret. Quod ſi ne externa quidẽ exempla negligimus, Antiochus Soter Seleuci ſilius autore Strabone lib.xi. Margianam regionem muro cinxit ambien te ſtadia.M.D. quæ ſunt propè, cc. paſſuum. M. Romanæ autem opes longo interuallo ſuperarunt Antiochinas. Siue igi tur muros, ſiue ędium frequentiam ſpectemus, Romę ampli tudo quam prodit Vopiſcus, non abhorret à vero. Accedit S. C. de augenda vrbe; & Aureliani Senatum conſulentis voluntas, cauſſa poſtremò grauiſſima, qua adductus id conſi lii cepit. Quę omnia complexus eſt Vopiſcus his verbis. *Cum videret poſſe fieri, vt aliquid tale iterum, quale ſub Gallieno eueneret, proueniret, adhibito conſilio Senatus muros urbis Romæ dilatauit;* Gallienum enim reipub. exitio natum ita omnes habuerunt contemptui, vt eius temporibus.xxx. Tyranni exorerentur, quorum Aureolus in Italia apud Mediolanũ eſt interfectus: & barbaræ gentes in viſcera vſque Romani imperij penetrarent; Marcomanni pręcipue, qui cum ſe in Italiam effudiſſent, Rauennam vſque peruenerunt. Cum ergò concuteretur, arderetque bello orbis vniuerſus, & Roma futura eſſet præmium victoriæ, quid illis animi fuerit, qui in eius ſuburbijs nudis à muro, & hoſti expoſitis domicilium habebant, poteſt quiſque de ſe conijcere. His vt proſpiceret Aurelianus, valida ſuburbijs męnia circundare inſtituit, quæ fuiſſe collapſa cum Maxentium ad pontem Muluium Conſtantinus ſuperauit, non eſt neceſſe, aut cum Gotthi Romã cepere, quamquàm ſilent de eis veteres hiſtorici. Fortaſſe enim eam vrbis partem, quæ erat ad pontem Muluium, mu ro non munierat Aurelianus, quòd eam Tiberis includeret,

&

& muniret ſatis. Romæ autem, cum eſt capta à Gotthis, non erat ea, quę fuerat olim, frequentia, tanta colonia, quanta fuit Conſtantinopolis, emiſſa, diuiſo imperio, eiuſque ſede aliò tranſlata. Nil igitur mirum ſi, cum muros XX. circiter paſsuum millia colligentes ambitu Romani tueri non poſſent, illos Aureliani tantò ampliores ſibi deſerēdos, nec pro vacuis aut ſemirutis ędibus pugnandum putarunt. Cumque ii muri patuerint Gotthis citra vllum certamen, neq; ad eos quidquam ſit geſtum memorabile, mirum magis eſſet commemorari eos ab hiſtoricis, quàm ſilentio pręteriri. Hæc sũt quæ dici poſſunt in vtramque partem. Ego vt Romam tàm amplam fuiſſe neque affirmo, nec pręſto; ita eſſe potuiſſe mihi iamdiu perſuaſi. Non dubito enim quin vera ſint ea, quæ de amplitudine Suburbiorũ ſupra ex Plinio & Halicarnaſſæo retuli. Quod autem prodit Vopiſcus eius hanc puto eſſe interpretationem. Non fuiſſe ab Aureliano veterem vrbis murum ampliatum, vt vel ille ipſe eſſe potuerit, quem cō memorat Olympiodorus; ſed alterum multò ampliorem ductum, qui ſuburbia clauderet ad eam diem aperta & patentia. Atque hoc ſignificaſſe arbitror etiam Zoſimum illis verbis. ἐτειχίσθη τότε ἡ Ρώμη πρότερον ἀτείχιστος οὖσα. Quorum verborum hæc ſola eſſe poteſt vera ſententia. Zoſimus ſi quid aliud in animo habuit, cum hæc ſcriberet, cauſſæ nihil dico, quin doctorum virorum iudicio vapulet. Fuit igitur Roma ab Aureliani æuo, ſi Vopiſcum & Zoſimum audimus, duplici muro vallata, ut nunc etiam multæ vrbes, quæ receptis intra mænia Suburbijs ſunt auctæ.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Plato in Protagora ab Athenæi calumnia vindicatus.
Caput XIII.

ATHENAEVS lib.v. cùm multa affirmat quod ad rationem temporum ſpectat,ſcripta à Platone imprudenter, tùm verò hoc illi obiicit inter cetera, quod ſermo inter Socratem,& eum, cuius uocabulo dialogus appellatur Protagoram cum eſt habitus anno primo. XC. Olympiadis Aſtyphilo, ſiue Ariſtophilo Archonte,Hippiam Elæū Athenis fuiſſe ſcribat, qui tamē renato inter Athenienſes & Peloponneſios bello, per ea tempora ſine aperto uitæ diſcrimine Athenis eſſe non potuit, quippe qui hoſtis eſſet. Vellem Atheneus accuratiùs hiſtorias legiſſet.Sanè enim eò progreſsus non eſset, vnde nunc pedem referre ſalua exiſtimatione non poteſt: neque id reprehendiſset in ſummo philoſopho,in quo iam iā ego illū deprehēdam. Non potuit, inquit, Hippias Elęus tutò eſse Athenis poſt principatum Iſarchi,ideſt poſt annum primum, lxxxix. Olympiadis.Ego verò affirmo potuiſse non Elæum ſolùm, ſed etiam Spartanum. Quid enim? vtrùm nobis imponit Thucydides cum hiſtoricis omnibus,an.iii.eiuſdem Olympiadis anno Alcęo Archonte fędus eſt factum ab Athenienſibus cùm Lacedæmoniis, & ſociis, inter quos erant etiam Elæi in annos L.? ſi factum; quid impedit quin altero poſt anno Peloponneſii Athenis tutò fuerint?At non fuit diuturnum. At Thucydidem audiamus lib. v. hęc ſcribentem. μετὰ τὰς σπονδὰς καὶ τὴν ξυμμαχίαν τῶν λακεδαιμονίων, καὶ τῶν ἀθηναίων, αἳ ἐγένοντο ἐπὶ Α'λκαίου ἄρχοντος ἀθήνησι, τοῖς δὲ ξαμένοις αὐτὰς εἰρήνη ἦν. & paullò poſt Καὶ ἐπὶ ἓξ ἔτη, καὶ δέκα μῆνας ἀπέσχοντο, μὴ ἐπὶ τὴν ἑκατέρων γῆν στρατεῦσαι. Ex his conſtat non ſolùm Aſtyphilo Archonte,ſed. iv.etiā poſt ipſum annis firmum fędus fuiſſe.Thucydidem ſequitur Iuſti

 nus

nus lib.iii.extremo his verbis. *Deniq́ue feſſi tot malis pacem in annos:L. fecere,quam non niſi ſex annis ſeruauerunt.* Decem menſium reliquorum Latinus hiſtoricus rationem non habuit. Quòd ſi quis dicat intra hoc ſpatium temporis Athenienſes pro ſociis aduerſus Lacedæmonios in acie ſtetiſſe, & verò etiam pugnaſſe,quamobrem fœdera illa fracta videri:ſi quis, inquam,hoc dicat, fruſtra erit.Primũ quia pax non niſi poſt quàm apertè dimicare inter ſe inſtituerunt,dirempta eſt.De inde quia focijs auxilium tulerunt Athenienſes anno demũ II. XC. Olympiadis Archonte Archia,qui Aſtyphilo ſucceſ ſit.Quod verum eſſe quiuis facilè intelliget,qui legerit attentè Thucydidem.Aſtyphilo autem Reipublicæ principe tan tum abeſt,vt hoſtes Lacedęmonij Athenienſibus fuerint,vt etiam rogatu Nicię, qui ad eos erat legatus,iureiurando fœdus renouarint.Illud certum eſt,anno belli. XI. qui fuit. IV. XXCIX. Olympiadis, cuius, vt dixi, annò primo Archon fuerat Iſarchus,omnes vltro citroq́ue tutò cõmeaſſe.Apertè enim hoc teſtatur Thucydides. καὶ τὸ θέρος τοῦτο πᾶν ἐπιμιξίαι ἦσαν τοῖς ἀθηναίοις καὶ πελοποννησίοις & mox de eo dem anno. τὸ μὲν οὖν θέρος τοῦτο ἡσυχία ἦν, καὶ ἔφοδοι παρ᾽ ἀλλήλους. Quòd telum ſi effugere nõ poteſt Athenęus, vt mea quidem ſententia non poteſt, iam ego illum adigam ad fatẽdum,quod modò negabat, poſt Iſarchi etiam præturam Peloponneſium hominem ſine vllo vitę diſcrimine verſari Athenis potuiſſe. Hoc autem Elęo, Aſtyphilo præſertim Archonte licuiſſe iam demonſtrabo: Fuit enim hoc ipſo anno ab Athenienſibus ictum cum Elæis fædus,cuius formula extat adhuc apud Thucydidem. σπονδὰς ἐποιήσαντο ἑκατὸν Ἀθηναῖοι ἔτη καὶ Ἀργεῖοι, καὶ Μαντινεῖς, καὶ Ἠλεῖοι. imò etiam tempora. ὀλύμπια δὲ ἐγένετο τοῦ θέρους τούτου, οἷς Ἀνδροσθένης Ἀρκὰς παγκράτιον τὸ πρῶτον ἐνίκα. Quid igitur potuit ſcribi à Platone aut verius, aut exactæ rationi temporum magis conſentaneum? Dicet quiſpiam,oleum perdidiſti:pugnaſti enim Thucydidis teſtimonio: Viro autem apprimè

docto videtur Athenęus alios quoſdam ſcriptores ſequutus quorum ſcripta non tulerint ætatem. Nam ille induciarum, quas memorat Athenæus, nullam facit mentionem, ſed earum loco fędus initum narrat prętore Alcęo in annos quinquaginta. Fieri ſanè poteſt vt fallar, neque eſt quidquam procliuius; ſed tamen hac in re non modò oleum, ſed ne atramentum quidem me perdere arbitror: lego enim apud Thucydidē de nono belli anno, in quē incurrit Iſarchi prætura. λακεδαιμόνιοι δὲ καὶ ἀθηναῖοι ἅμα ἦρι τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους εὐθὺς ἐκεχειρίαν ἐποιήσαντο ἐνιαύσιον. & in formula induciarū. ὡμολόγησαν ἐν τῷ δήμῳ τὴν ἐκεχειρίαν εἶναι ἐνιαυτόν, ἀρχὴν δὲ τήνδε τὴν ἡμέραν τετράδα ἐπὶ δέκα τοῦ ἐλαφηβολιῶνος. Eadē omnia, ſi diem excipias, tradit Athenęus. Quod igitur alios à Thucydide ſcriptores quæramus nihil eſt. Libet hoc loco quò res clarior ſit atque explicatior, cadantque omnia, quę dixi, ſub vnum obtutum, ſubiicere tabellam temporum, Archontum, & rerum ſingulis annis geſtarum, quę quidem facient ad noſtrum inſtitutum.

OLIMPIAS LXXXIX.

Annus I Ἴσαρχος ἄρχων. Iſarchus Archon.

Inducię annuę, quarum meminit non modò Athenęus, ſed etiam Thucydides lib. iv.

Annus II Ἀμυνίας Amynias

Annus III Ἀλκαῖος Alcęus

Fędus Athenienſium, Lacedęmoniorum, ſociorum in annos quinquaginta, ſex annis & menſibus decem ſeruatum: Thucydides: Iuſtinus.

Annus IV Ἀριστίων, ἢ Ἀρίστων Ariſtio, vel Ariſto.

Athenienſes, & Peloponneſii vltro citroque tutò commeant. Thucydides.

OLYMPIAS XC.

Annus I Ἀστύφιλος ἢ Ἀριστόφιλος. Aſtyphilus vel Ariſtophilus.

Lacedæmonii Niciæ Athenienſium legati rogatu fędus iureiurando confirmant.

Fædus Athenienſium cum Elęis in annos. C.

Hippias Elęus ſine vllo diſcrimine Athenis verſatur. Plato in Protagora.

Annus II Ἀρχίας. Archias

Athenienſes opem Argiuis contra Lacedæmonios tulerunt.

Annus III Ἀντιφῶν. Antipho

Fędus inter Athenienſes & Lacedęmonios adhuc integrum.

Annus IV. Εὔφημος. Euphemus.

Fędus inter Athenienſes & Lacedæmonios adhuc integrum.

Variatio in vno Ciceronis loco ter obſeruata. Iuuenalis illuſtratus. Caput XIV.

INSIGNE exemplum afferam in hoc capite eius figurę, quam Gręci ἀλλοιότητα, noſtri variationem appellant; imò exempla veriùs: tria enim ſunt in pauculis Ciceronis verbis primo de Oratore. *Percipietis etiã illã ex cognitione iuris lætitiam & voluptatem, quòd, quantum præſtiterint maiores noſtri prudentia ceteris gentibus facillimè intelligetis, ſi cum illorum Lycurgo, & Dracone, & Solone noſtras leges conferre volueritis. Incredibile eſt enim quantum ſit omne ius ciuile præter hoc noſtrum inconditum, ac penè ridiculum. De quo multa ſoleo in ſermonibus quotidianis dicere, cum hominum noſtrorum prudentiam ceteris hominibus, & maximè Græcis antepono. Ceteris gentibus* cum

enim

enim dixiſſet, *illorum* addidit, quamquã *illarum* ſtructura orationis poſtulabat, quod Grçcos præcipuè ſignaret. Deinde cùm hominibus leges confert, cùm leges à Grçcis & à Romanis latę, fuerint contendendæ inter ſe. Poſtremò prudentiam hominibus anteponit, quòd Romani prudentia ceteris gentibus, & maximè Grçcis præſtarẽt. Huic ſimile eſt, quod ſcribit Iuuenalis ſat. xiv.

Dilexit Thebas, ſi Grçcia uera, Menęceus,
In quorum ſulcis legiones dentibus anguis
Cum clypeis naſcuntur, & horrida bella capeſſunt.

Cum enim Græciam dixiſſet, *quorum* retulit, quod *μετωνυμικῶς* Græcos ſignificaret. Scio eſſe qui legi malint, *quarum*, ſed iis non aſſentior. Hoc autem dicit poeta: magna fuit Menęcei in patriam charitas, ſi Grçci verą narrant, qui ſępenumero falſa pro veris obtrudere conãtur, adeò vt facta dentium ſemente armatas legiones è terra ſubitò extitiſſe prodant. Hoc autem loquendi genus, non debuit cuiquam inuſitatum videri aut nouum, qui locum illum Ciceronis legiſſet, quem ſupra deſcripſimus; & verò etiam hunc Virgilianum è libro primo Aeneid.

——— nunc fama minores
Italiam dixiſſe ducis de nomine gentem.

Non enim gentem, ſed regionem Italiam dixerunt. Vt igitur Virgilius à regione ad populos; ſic Iuuenalis à Grçcia ad Grçcos oratione deflexit.

Nota quædam in Plauti Amphitruonem. *Caput* *X V.*

DEFIGERE obtutum in Plautinas ſabulas,eaſque acri iudicio examinare non eſt neceſſe,vt quę minùs ex arte facta ſunt, deprehendantur;ſed ſatis eſt ſi vel leuiter eas inſpiciat homo in lectione poetarum verſatus mediocriter, & poeticis pręceptis imbutus, vt curuo poſſit dignoſcere rectum.produnt enim ſeipſa,atque offerunt lectori aliud agenti ἁμαρτήματα,ſi tamen hoc nomine ſunt illius peccata appellanda, qui fabulas ſuas ſcribere voluit,vt collibitum eſt animo ſuo,atque vt Achilles perinde ſe geſſit,ac ſi iura ſibi nata non eſſent,ſic ſe poeticas leges contemnere reipſa profeſſus eſt. Eius Amphitruonem dum percurrerem animi cauſſa, hæc notaui, quæ ſi minùs ex arte facta ſunt, at aliqua excuſatione pleraque tegi poſſunt.

I Sub prologi finem Mercurius de vero Soſia.

Abigam iam ego illunc aduenientem ab ædibus.
Adeſt,ferit.-----

At Soſia tantum abeſt,vt ianuam pulſarit, vt ne acceſſus quidē ad ędes illi patuerit per illum Pſeudoſoſiam: cū enim actu primo rem totam narraſſet,prout erat geſta ab Amphitruone cum Taphiis,ſeque domum reciperet, vt heri imperium exequeretur; ſtatim Mercurius

At at illic huc iturus eſt,ibo ego illi obuiam,
Neq; ego hunc hominem hodie ad ędes has ſinam
Vnquam accedere. ---

Qui autem longè erat ab ædibus, necdum ad eas acceſſerat,

rat, qui ianuam ferire potuit? Niſi ſi vt apud Iuriſconſultos, qui in eo iam eſt, vt ſe accingat, is cenſetur accinctus : ſic qui paullò poſt ianuam pulſaturus eſt, iam dici poteſt pulſare.

II Herculem prçterea non ſolum antequam relatus in Deos, ſed etiam priùs quàm natus ſit, Soſia & Mercurius, ille admirans, hic iurans nominat. Soſia actu primo ſc. prima.

---Obſecro hercule quantus, & quam ualidus eſt.

Mercurius actu tertio. ſc. quarta.

Nam mihi quidem hercule qui minus liceat deo minitarier.

Niſi de antiquiore illo AEgyptio mentio ſit ab vtroq;, cuius famç luminibus obſtruxit poſtea Grçcus, adeò vt res etiam ab illo præclarè geſtç huic tribuerentur. Autor Diodorus lib. tertio extremo. alii.

III His adde quod actu tertio ſc. prima Iuppiter ſic loquitur.

Faciam ut uno fœtu, & quod grauida eſt uiro.
Et me quod grauida eſt, pariat ſine doloribus.

Sed longè alia ſunt, atque à tàm ſpecioſis pollicitationis aliena, quç Bromia ancilla Amphitruoni narrat actu quinto ſcena prima.

--Poſtquam parturire hodie uxor occæpit tua,
Vbi utero exorti dolores, ut ſolent puerperç,
Inuocant Deos immortales, ut ſibi auxilium ferant.

Audire hic mihi uideor puellam illam Terentianam clamantem.

Iuno

Juno Lucina fer opem, ſerua me obſecro.

Aut igitur, quod familiaribus eſt familiare, id Bromia affirmat, quod ignorat: aut Alcumenam Iuppiter parere tantùm, non etiam parturire ſine doloribus voluit. Vt vt eſt, ineptè Mercurius paterni conſilii conſcius Actu primo, ſcena ſecunda de Alcumena.

Hodie illa pariet filios geminos duos,
Vno ut labore abſoluat ærumnas duas.

Qui enim labor, aut quę ærumnę in partu ſine dololoribus?

IV Nec verior, aut melior altera cauſſa eſt, cur illa eſſet geminos in lucem editura.

Et ne in ſuſpicione ponatur ſtupri.

Nam turbę, quę deinde exoriantur, nemo non videt.

Amphitruo. *Pudicitiæ huius,* inquit, *uitium me hinc abſente eſt additum.*

Alcumena contrà. *Durare nequeo in ædibus, ita me probri, ſtupri, dedecoris à viro argutam meo.*

Hoccine eſt in ſtupri ſuſpicione non poni? Sed cauit fortaſſe Iuppiter, ne apud reliquos ciues veniret Alcumena in ſtupri ſuſpicionem, maritum autem, quem ludos facere parabat, ſuſque deque habuit, exempturus illi extrema fabula omnem ſcrupulum, eumque cum vxore in antiquam gratiam reducturus.

V Adhæc in fabulæ epitaſi cataſtrophen indicari non placet, vt animo pendeat auditor rei exitum expectans, & quomodo turbæ illæ in tranquillum ſint conferendę. Ioui igitur Actu tertio alia oratio tribuenda fuit: nam

quæ tributa eſt, vt vitioſa non ſit, videtur certè ſuperuacanea, cum eadem omnia ante Iouem Mercurius dixerit Actus primi ſcena ſecunda. Sed fortaſſe quod ſpoponderat filius, patri erat aſſenſu ſuo confirmandum.
VI Erunt etiam, quibus primariam fęminam diluculo ante ædes ſtare non placeat; ſtat autem Alcumena, & quidem ſine vlla familiarium ſola; nam Theſſala, quam inclamat, intus erat. Sed his occini poteſt illud Nęuii in Danae.

Deſubito famam tollunt, ſi quam ſolam uidere in uia.

Et ſanè aliter fabulæ non conſtarent.
VII Extat etiam neſcio quid in ea fabulæ parte, qua Amphitruonem deludit Mercurius, quod reprehenſione carere non videtur. Verùm id quia turpe eſt, & verſus illi Plautini doctorum virorum iudicio non ſunt, miſſum facio.
VIII Sed peccatum longè omnium grauiſſimum uidetur quod in vnam diem ſeptem menſes coniicit. Quam immodicam eius licentiam caſtigauit ante me vir ſingulari doctrina & eloquentia M. Antonius Muretus lib. 14. Var: qui tamen dum currenti calamo indulget, falsò Herculem decimo poſt menſe, quàm ſeminatus eſt, Alcumenam parientem facit. Nam menſe decimo Iphiclus eſt genitus, Hercules ſeptimo. Hoc quoque tamen veteres Tragici non minùs ſibi, quàm Epicis licere uoluerunt, Ariſtotele teſte capitulo quinto poet. extremo.

Roma-

Romanam hiſtoriam à Græcis fuiſſe fabulis inquinatam.
Caput XVI.

QVI neſciunt qua religione in populi Romani rebus prodendis Græci quidam verſati ſint, diſcent ex hoc capite: & ſimul intelligēt, quamquàm falſum eſt Grȩcos omnes eſſe mendaces, atque hȩc per ſummam iniuriam nobiliſſimæ, & optimè de nobis meritæ genti inuritur calumnia; quoſdam tamen in fabellis condendis ne poetis quidem concedere. Declarabo id vna & altera hiſtoria è Suidȩ collectaneis hauſta. Cum Romanis alieno cibo veſci probro eſſet, Romulus ſibi conſcius fortunæ ſuȩ, vt vnà cum fratre expoſitus à lupa non fera, ſed homine fuiſſet educatus, curandum putauit, ne quando hoc ſibi obiici poſſet; aut obiectum ad omnes æquè patres, plebemque vniuerſam pertineret. Aequum igitur, imò neceſſarium dictitans ali Senatum à rege hieme ſaltem, cum à bellis quies eſſet, epulum de ſuo vocatis ad vnum Senatoribus dedit, eoſque ad eundem modum præbere iuſſit militibus prandium, quod appellauit Brumalium, quæ vox Romanis alieno cibo ali ſignificat. Hȩc eſt Græcorum Suidæ verborum ſentētia, quȩ libet reprȩſentare. Βρουμάλια. ταῦτα ἐπενόησε Ῥῶμος. ἐπειδὴ αὐτὸς, καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Ῥῆμος ἐκ πορνείας γινόμενοι ἐξεῤῥίφησαν, καὶ παρὰ γυναικὸς ἀνετράφησαν. ὄνειδος δὲ ἦν Ῥωμαίοις τὸ ἐξ ἀλλοτρίων ἐσθίειν, (καὶ) ἕκαστος ἐν τοῖς συμποσίοις ἴδιον βρῶμα καὶ πόμα ἐκόμιζεν πρὸς τὸ μὴ ἀκούειν ἀλλοτριοφάγος. οὗ δὴ χάριν ἐπενόησε Ῥῶμος τὰ Βρουμάλια, εἰρηκὼς ἀναγκαῖον εἶναι τρέφειν τὸν βασιλέα τὴν ἑαυτοῦ σύγκλητον ἐν τῷ χειμῶνι, ὅτε ἠρεμοῦσιν ἐκ τοῦ πολέμου. ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ .α. ἕως τοῦ .ω. κελεύσας καὶ τὴν σύγκλητον καλεῖν τοὺς στρατιώτας. & mox. καὶ τοῦτο ἐπενόησε πρὸς τὸ ἀπαλλαγῆναι τῆς ὕβρεος αὐτοῦ ὁ Ρῶμος, καλέσας τὸ ὄνομα τοῦ ἀρίστου βρουμαλιούμ. ὅ ἐστι ἐκ τῶν ἀλ-

λοτρίων τραφῆναι. Hanc mythiſtoriam apud eos, qui ſunt accuratè Romanas antiquitates proſequuti non facilè inuenias. Quod vtinam Suidæ veniſſet in mentem docere, vnde has nugas hauſiſſet, vt ſciremus, quis ille eſſet, cui tãtum deberet Romana hiſtoria corrupta & decepta poſteritas. Nũc ille, vt ſolet, cum autoris nomen omiſerit, nos rem ipſam putemus. Hanc eſſe fabulam licet ex eo intelligere, quòd, vt dixi, à nemine eſt prodita Latino aut Greco notę melioris ſcriptore. Præterquàm quòd nihil hoc conſilio, mea quidem sẽtentia, promouiſſet Romulus, neque eluiſſet maculam ſuã: longè enim eſt aliud aut à rege Senatum, aut à Senatu milites ſemel & iterum vocari ad cœnam; & à ſuis expoſitum tolli, & educari ab alienis. Ecquis vnquam audiuit, aut cui poterit perſuaderi, brumalia cibum alienum Latinè ſignificare? Nam alia quidem productio nominis eſt, quam habent etiam Saturnalia, Matronalia, Conſualia: bruma vero certũ eſt anni tempus, non cibus. Niſi forte ex Gręci Grammatici ſententia, aut eius vnde ille hoc hauſit, Βρῶμα & ἄλλος vel ἀλλοῖος in vnum coierũt, & ex eis conflatum eſt à Latinis Brumalium, quod nullo modo obtrudi mihi patiar, cui Brumalia à bruma fuiſſe appellata ſuadet etiam anni tempus, quo illa dicuntur celebrata conuiuia, quæ ſi Rumalia aut Rumi nalia dicta eſſe affirmaret, crederem illi placuiſſe nomen ſortita à ruma, ideſt mamma aliena. Nunc & brumalia appellat & ad delendam ſuæ calamitatis memoriam excogitata affirmat à Romulo. Sed hac miſſa veniamus ad alteram palmariam fabellam. M. Furium Camillum nemo ignorat die dicta à L. Appuleio Tribuno plebis propter prędam Veientanam abiiſſe in exſilium, & Februarium mẽſem dierum. viii & xx. anno Romuli additũ à Numa, & nomen ſortitum à Februis. At longe aliter Suidas, ſiue quiſquis eſt, vnde ille deſcripſit, rem narrat: Februarium menſem à quodam Gallo Romæ cõſule accepiſſe nomen; eum cum Furio Camillo de Tyrãnis triumphanti inuideret, clamaſſe è roſtris, Romanorum for-

tunæ

tunæ acceptam victoriam eſſe referendam, non Camilli vir tuti, quem ſibi eſſet compertum cogitare de inuadenda Tyrannide. atq; vt id populo perſuaderet faciliùs, ſuppoſititias epiſtolas, & corruptos à ſe teſtes exhibuiſſe: populum conci tatum pepuliſſe Camillum in exſilium ſed vrbe à Gallis di ruta & incenſa non reuocaſſe modò, verùm etiam eius auſpi ciis deleto Brenni exercitu patriam recuperaſſe: Quo benefi cio adhuc recenti vtendum ratum Camillum aduerſario diē dixiſſe, collata in eum cauſſa eius calamitatis, quam ceperat reſpublica, damnatumq́ue & neruis probè cęſum vrbe exe giſſe. Verba Suidæ ſi quis requirit, hæc ſunt. Φεβρουάριος. οὕτω καλεῖται ὁ μὴν ἀπό τινος ὑπάτου γένους ὑπάρχοντος τῶν γάλλων. ἐνίκα γὰρ τὸν θρίαμβον ἀπὸ τῶν τυράννων κατήγαγεν ὁ Κάμιλλος, ζηλοτυπήσας ὁ φεβρουάριος ἐπὶ τοῦ βήματος ἐβόα, μὴ γεγονέναι τὸν Κάμιλλον αἴτιον τῆς νίκης, ἀλλὰ τὴν τύχην Ῥωμαίων. συνέπλαττε δὲ καὶ γράμματα, καὶ ψευδομαρτυρίας κατ' αὐτοῦ, ὡς τυραννίδα μελετῶντος. ἐντεῦθεν δὲ τὸν δῆμον ἐπαναστήσας ἀπελαύνει τοῦτον τῆς πόλεως ὡς οὖν μετὰ τὴν ἅλωσιν τῆς Ῥώμης ἐπανῆλθε, καὶ τοὺς περὶ τὸν βρέννον βαρβάρους ἀνεῖλεν, εἰς κρίσιν ἀγαγὼν τὴν ὑπόθεσιν ἀπέδειξε πάντων γεγονέναι ἄτιον τὸν φεβρουάριον. καὶ διὰ τοῦτο γυμνωθέντα αὐτὸν τῆς ἐσθῆτος, καὶ θρυίνῃ περιβληθέντα ψιάθῳ ὑπὸ τῶν ὑπηρετούντων τῷ δημάρχῳ, τῶν καλουμένων βερνάκλων τυπτόμενον νεύροις τῆς πόλεως ἀπεδίωξε, καὶ τὸν ἐπώνυμον αὐτῷ μῆνα παρὰ τοὺς ἄλλους ἐκολόβωσε. In hac narratione plura ferè ſunt peccata, quàm verba. Nam quo anno triumphauit Camillus, non conſules, ſed tribuni militum conſulari poteſtate adminiſtrabant Rempublicam; nec Gallus quiſquam per ea tempora magiſtratum Romę geſſit: nec ab homine vllo, ſed à februis nomen Februarius menſis accepit: & iam inde à Numa reliquis breuior à nemi ne poſteà decurtatus fuit: nec de Tyrannis Camillus, ſed de Veientibus triumphauit; neq́ue iuit in exſilium ob inita de tyrannide inuadenda conſilia, ſed ob iniquē diuiſam Veientanam prædam. Hanc ipſam fabulam leuiter interpolatam

inuenies

inuenies apud Cedrenum. Nam pro Furio Camillo Manlium Capitolinum nominat, cui aduerſatum ait Senatorem, qui Gallis ſtuderet: Manlium reducem autorem exi'ij ſui Februarium virgis cæſum diis manibus immolaſſe; hæc acta Sextili menſe, quem vt mutilum Manlius Februarii vocabulo appellarit. Quibus addit quòd ſtorea amictus & fune prę cinctus Februarius eſſet vrbe eiectus, manſiſſe morem apud Romanos, vt ſtoream in foro quotannis propoſitam cædentes clamarent. Egredere ex vrbe Februari. Hæc Cedrenus ab iiſdem lacunis expiſcatus eſt, vnde illud quoque, quod alibi tradit L. Quinctium Cincinnatum Nerone imperante vixiſſe, & opus in agro facientem à legatis conſulem ſalutatum. Sed hoc quamquàm fœdum peccatum, nihil tamen eſt niſi ἀναχρονισμὸς annorum circiter DXV. Nam de conſulatu geſto anno V.C.CCXCIII. Dionyſium Halicarn. autorē habet; quamquàm Latini omnes Cincinnatum ex agro ad Dictaturam euocatum tradant anno CCXCV. Superior autem illa narratio tota ficta ne ueri quidem ſpeciem habet. Quid enim immanius, & à vetere illa Romanorum virtute alienius, quam Dictatoris iuſſu immolatam Diis manibus Senatoriam victimam? Ecquibus meretur ſibilis explodi, qui Auguſtum menſem ſcribit eſſe Februarium? Nec eſt, ut ſe tegat probati alicuius Gręci hiſtorici autoritate: certum eſt.n. Plutarchum adeò non inſaniſſe, vt hæc proderet, ac ne Appianum quidem, quem, Plutarchum, vt ſolet, ſequutum in hac re tradenda coniici poteſt ex eo fragmento è libris eius amiſſis, quod extat apud Suidam in ἀχίλλειος εὐχή. apud quem alterum legitur Dionis in. ὑπέξωχεν. de hac ipſa re, in qua narranda non diſcedit à Liuio & Plutarcho. Reliquum eſt, vt hæc tota fabella manarit ab imperito, & audaci aliquo Gręculo, qui dum fabulas ſereret, hiſtoriam violare nihil penſi habuerit.

De

De locis quibuſdam Demoſthenis ex orationibus pro Corona, & de ementita legatione diſputatum.
Caput XVII.

AMPHIPOLIM Thraciæ urbem à Philippo occupatam cum recuperare niterētur Athenienſes,graui ac difficili bello ſe implicuerunt. Quod cum ſpe omnium eſſet diuturnius,nec procederet ex ſententia, coacti ſunt animum appellere ad pacem, à qua ne Philippum quidem abhorrere multi nuntiabant. Creati igitur X.ad Regem legati,qui explorata eius ſententia,ſi pax impetrari æquis conditionibus potuiſſet,curarent ut legati ab eo Athenas mitterentur. Rex Parmenionem, Antipatrum,Eurylochum miſit,à quibus eſt breui negotium confectum,exactoque ab Athenienſibus iureiurando pax facta. Eam pacem vt Philippus quoque iureiurando ſuo confirmaret, illi ipſi,qui obierāt primam legationem,redire iuſſi in Macedoniam ; cumque moras traherent, nec darent ſe in uiam, ne Philippus ſolutus iuſiurandi religione agros ſociorum interea popularetur, opida redigeret in ſuam poteſtatem, S.C. maturare profectionem iuſſi ſunt. Veniunt in Macedoniam abſente Philippo,qui de induſtria ante eorum aduentum expeditionem ſuſceperat in Thraciam;cumq; liceret paucorū dierum itinere adire ad eum, & magnam Thraciç partem ſeruare,paucorum proditione factum eſt, ut nō vlteriùs progrediendum, quàm eſſet in mandatis, ſed eius in Macedoniam reditum operiendum ſtatuerent. Tandem ille uenit re geſta ex ſententia,nec tamen diu expectatus ſtatim, ut par erat,iureiurando ſe obſtringit,ſed nectit moras, & producit legatos quantum poteſt, intereà ſe comparans ad bellum Phocenſe in Thebanorum gratiam ſuſceptum. Rebus omnibus comparatis in uiam ſe dat cum omnibus copijs, atque

in ipſo demùm itinere in publico diuerſorio iureiurando ſe obſtringit, & legatos dimittit: qui dum redeunt in patriam, ipſe intereà nec opinantibus Athenienſibus, quos certò ſciebat, ſi id eſſent ſubodorati, impedimento futuros, traiicit Thermopylas, & ducit in Phocenſes. Legati reuerſi Athenas renunciant pacem iureiurando ſancitam à Philippo cũ populo Athenienſi, & ſociis, extra Phocenſes, cum quibus negaret adduci ſe poſſe ulla ratione, vt pacem faceret, quòd templo Delphico ſpoliato immani ſacrilegio ſe contaminaſſẽt. Hæc omnes præter Aeſchinem, qui unus affirmabat, hęc à Philippo iactari publicè, vt Thebanos falleret, quib. erat infenſus; Phocenſibus autem nihil à Philippo eſſe periculi: id vni ſibi à Rege ſecretò commiſſum, & in aurem dictum. Sed Athenienſes, vt qui de Phocenſium ſalute valdè laborabãt, non contenti unius teſtimonio decernunt, vt iidem legati redeant tertiò ad Philippum, eiuſque animum explorent diligentiùs. Cum autem Demoſthenes abiuraſſet legationem, Aeſchines quoque ne quid aduerſarius per ſuam abſentiam moliretur noui, aduerſam valetudinem ſimulat: reliqui cum duobus in horum locum factis in uiam ſe dant: cumque in Eubæa deperditis ac profligatis Phocenſium rebus certiores eſſent facti, aduolat Dercyllus legatorum unus ad vrbẽ, & rem populo aperit. Magna trepidatio Athenis fuit, cum eſt auditum Philippum tàm callido conſilio in Græcię uiſcera penetraſſe improuisò: ſed longè maior, cum de ſubactis Phocenſibus nuntius venit, deque Thebanorum & Philippi ſocietate. Cum igitur eſſet incertum, vt victoria eſſet vſurus Macedo, nec quidquam obſtaret, quominùs ad ſuam libidinem Atticam inuaderet; decretum eſt factum, quo in agro Attico quicumque habebant domicilium, migrare omnes in urbem ſunt iuſſi, aut in caſtella cum liberis, & coniugibus, rebuſque omnibus ſuis. Inter hos tumultus Aeſchines valetudine ſubitò recuperata, nemine iubente ſuſcipit legationem ad Philippum. Hęc ex Demoſthenis orationibus

tionibus pro Corona, & de ementita legatione hauſta ſunt eo conſilio, vt notatis diligenter temporibus, quibus hęc ſunt geſta, iudicent viri docti falſò necne queratur de Demoſthene Aeſchines, quod τοῦ βουλευτηρίου, καὶ τῶν δημοσίων γραμμάτων, καὶ τοῦ χρόνου, καὶ τῶν ἐκκλησιῶν καταψεύδεται. Sed antequàm dicere de temporibus incipio, proponere neceſſe eſt ordinem menſium Atticorum, quo ignorato non poſſunt, quę ſum dicturus, intelligi. In iis autem digerendis Gazam ſequar, quem in hac re Scopum attigiſſe multis alibi oſtendam. Primus igitur anni Attici menſis eſt.

α	ἑκατομβαιών.	1	Hecatombæon.
β	μεταγειτνιών.	2	Metagitnion.
γ	βοηδρομιών.	3	Boedromion.
δ	μαιμακτηριών.	4	Mæmacterion.
ε	πυανεψιών.	5	Pyanepſion.
ς	ἀνθεστηριών.	6	Antheſterion.
ζ	ποσειδεών.	7	Poſideon.
η	γαμηλιών.	8	Gamelion.
θ	ἐλαφηβολιών.	9	Elaphebolion.
ι	μουνυχιών.	10	Munychion.
ια	θαργηλιών.	11	Thargelion.
ιβ	σκιροφοριών	12	Scirophorion.

Elaphebolionis, qui nonus eſt anni Attici menſis, die xix. pax facta teſte Demoſthene de falſa legatione pag. 150. Cod. Aldini. ἡ μὲν τοίνυν εἰρήνη ἐλαφηβολιῶνος ἐνάτῃ, ἐπὶ δέκα ἐγένετο. IV. & xx. die eiuſdem menſis legatos Athenienſes redituros in Macedoniam ad iuſiurandum à Philippo exigendum adhuc Athenis eſſe verſatos, nec dediſſe ſe in viã, niſi poſt diem IV. menſis inſequentis; quem appellabant Munychionem, affirmat, & probat Aeſchines de legatione. τὸ ἱερὸν ὄρος κατείληφε φίλιππος ἐλαφηβολιῶνος μηνὸς ἕκτῃ φθίνοντος. Δημοσθένης δὲ ἐν τῷ δήμῳ προήδρευε τούτου τοῦ μηνὸς εἰς ὢν τῶν πρέσβεων ἑβδόμῃ

φθίνεντος. οὐ μόνον τοίνυν διετρίψαμεν τὰς λοιπὰς ἡμέρας τοῦ μηνὸς, ἀλλὰ μουνυχιῶνος ἐξωρμήσαμεν· καὶ τούτου τὴν βουλὴν μάρτυρα ὑμῖν παρέξομαι. ἔστι γὰρ αὐτῆς ψήφισμα, ὃ κελεύει ἀπιέναι τοὺς πρέσβεις ἐπὶ τοὺς ὅρκους. ΨΗΦΙΣΜΑ. ΧΡΟΝΟΣ ἀκούεται, ὅτι μουνυχιῶνος ἐψηφίσθη τρίτη ἱσαμένου. Iidem legati Athenas redierunt obita legatione. xiii. die Sciropho rionis, qui poſtremum in anno locum tenet. Demoſth. vbi ſupra. Ἥκομεν δὲ δεῦρο ἀπὸ τῆς πρεσβείας τῆς ἐπὶ τοὺς ὅρκους τρίτῃ ἐπὶ δεκάτῃ τοῦ σκιροφοριῶνος μηνός. IV. poſt die, qui eſt eiuſdem menſis. xvi. legati quid à ſe in ea legatione geſtum eſſet, renuntiarunt. Demoſth. ibid. ἡ δὲ ἐκκλησία, ἐν ᾗ πάντα τὰ πράγματ᾽ ἀπώλεσαν οὗτοι ψευσάμενοι καὶ φενακίσαντες ὑμᾶς τῇ ἕκτῃ ἐπὶ δέκα τοῦ σκιροφοριῶνος ἐγίγνετο. III. & XX. die eiuſdem menſis Phocenſes iam fuerant à Philippo ſubacti. VII. autem & XX. ideſt quinto poſt die nuntius de ea re venit Athenas, ſeu in Piræeum Demoſth. ibidem; τῇ τετράδι φθίνοντος ἐκκλησιάζετε μὲν ὑμεῖς τότε ἐν πειραιεῖ, ἧκε δὲ δερκύλλος ἐκ χαλκίδος, καὶ ἀπήγγειλεν ὑμῖν, ὅτι πάντα τὰ πράγματα ἐγκεχείρηκε θηβαίοις ὁ φίλιππος, καὶ πέμπτην ἡμέραν εἶναι ταύτην ἐλογίζετο, ἀφ᾽ οὗ γεγόνασι καὶ σπονδαί. Suprà autem ſcripſerat eadem die τὰ πράγματα ἀπολωλέναι. De tumultu autem ac trepidatione, quę fuit Athenis his rebus auditis, de que tempore, quo ſponte ſua legatus iuit ad Philippum Aeſchines, in eadem oratione hęc leguntur pag. 158. ἐπειδὴ δὲ ἀπολώλεσαν οἱ φωκεῖς ὕστερον ἡμέραις πέντε ἢ ἓξ, καὶ ὁ δερκύλλος ἐκ τῆς χαλκίδος ἥκει ἀνασπεύσας, καὶ ἀπήγγειλεν ὑμῖν ἐκκλησιάζουσιν ἐν πειραιεῖ, ὅτι φωκεῖς ἀπολώλασι, καὶ ὑμεῖς ὦ ἄνδρες ἀθηναῖοι ἐξεπέπληχθαι, καὶ παῖδας καὶ γυναῖκας ἐκ τῶν ἀγρῶν κατακομίζειν ἐψηφίζεσθαι, καὶ τὰ φρούρια ἐπισκευάζειν, καὶ τὸν πειραιᾶ τειχίζειν, καὶ τὰ ἡράκλεια ἐν ἄστει θύειν, ἐπειδὴ ταῦτ᾽ ἦν, καὶ τοσαύτη ταραχὴ, καὶ τοσοῦτος θόρυβος περιειστήκει τὴν πόλιν, τηνικαῦτα ὁ δεινὸς, καὶ σοφὸς οὗτος, καὶ εὔφωνος οὔτε βουλῆς, οὔτε δήμου χειροτονήσαντος αὐτὸν ᾤχετο πρεσβεύων πρὸς τὸν ταῦτα πεποιηκότα. His iactis ut fundamentis nunc rem ipſam expendere incipiamus. Si legati poſt diem tertium Munychionis, vt probat Aeſchines, in Macedoniam iter ad iuſiurandum Philippo deferendum ſuſceperunt, XIII. verò Sciropho rionis die ſunt reuerſi fieri non poſſe videtur, vt pluſquàm nouem & ſexaginta dies ab eis in legatione obeunda ſint conſumpti

ſumpti

ſumpti. At Demoſthenes tres totos menſes; qui dies ſunt LXXXIIX. huic itineri tribuit. ἀπεδημήσαμεν, inquit, ἡμεῖς ἐπὶ τοὺς ὅρκους τρεῖς ὅλους μῆνας & infrà. τρεῖς μῆνας ὅλους ἀποδημήσαντες. & in oratione pro Corona multò à veritate remotiùs. οἱ χρυσοὶ πρέσβεις οὗτοι καθῆντο ἐν Μακεδονίᾳ τρεῖς ὅλους μῆνας, ἕως ἦλθε Φίλιππος ἐκ Θράκης. At verò tantum abeſt, vt legati tres totos menſes otioſè in Macedonia triuerint Philippum expectando, vt vniuerſum iter minùs diebus LXX. confecerint. His illa germana sũt, quæ ſcribit in oratione de falſa legatione pag. 152. τῆς εἰρήνης ἤδη γεγονυίας καὶ τῆς Χεῤῥονήσου σῶας οὔσης τέτταρας μῆνας ὅλους ἐσώζοντο οἱ Φωκεῖς τοὺς ὕστερον. Qui tamen tres non ampliùs menſes ſunt, & dies quatuor, niſi me digiti fallunt numerantem à. XIX. Elaphebolionis, quo pacem factam diximus, ad III. & XX. Scirophorionis, quo Phocenſium vrbes in ius, ac poteſtatem Philippi venerunt. Videntur tamen (nam placet Demoſthenem, quà datur, excuſare) ita loqui ſoliti, aut Græci omnes, aut Attici, vt cuius pars multò maxima, aut aliqua ſaltem quantaquanta eſſet, id ὅλον eſſe dicerent. Obſeruaui id cùm apud alios, tùm apud Ariſt. ii. Rhet. cap. xxiii. ἔστιν ὁ τόπος οὗτος ὅλη τέχνη ἥτε Παμφίλου, ἥτε Καλλίππου. cum tamen ſupra de alio loco agens, vnde ſumuntur argumenta, ſcripſum reliquiſſet. ὁ τόπος οὗτός ἐστιν ἡ Καλλίππου τέχνη. Qui enim fieri poteſt, vt Callippus in arte dicendi de ſuperiore tantùm loco egerit, quo ars eius contineretur vniuerſa, ſi fatetur ipſe Ariſtoteles de altero etiam egiſſe? Præterquã quòd abhorret à vero, his tantùm præceptis artem dicendi vniuerſam à Callippo fuiſſe comprehenſam. Fuit igitur locus ille, ſi minùs tota ars, at eius certè pars multò maxima, & potiſſima; & tùm ὅλη τέχνη dicta eſt. Verùm enim verò ne hac quidem ratione quod de legatis Demoſthenes ſcribit, poteſt omninò excuſari. Quid enim? nullàne itineris habenda fuit ratio? an potuerunt legati puncto temporis ſiſtere ſe in Macedonia? & tamen tres totos menſes ibi ſediſſe dicũtur. Sequitur alter multò obſcurior locus; ait enim Demoſthe-

nes Philippi ingenium perſpectum cum haberet, ac ſuſpicaretur fore, vt moram legatorum conuerteret in rem ſuam, & ſolutus religione iuſiurandi Thraciæ vrbes Athenienſium imperio ſubiectas occuparet, ratus id, quod fuit, quamuis illę non redderentur, pacem tamen firmam, & certam futurã: hoc igitur ne eueniret, decretum ait à ſe factum, quo iubebãtur legati profectionem maturare. Illi decreto, quod extat in oratione pro Corona pag. 96. aſcripta eſt dies vltima Hecatombæonis. At, ò bone, cum tu patriæ commodis inuigilans hoc decretum ſcribebas, aut pax nondũ erat facta, aut multò ante Philippi iureiurando confirmata. Erunt fortaſſe qui putent corruptum hic eſſe menſis nomen, & pro Hecatombæone Elapheboliõnem reponendum. Sed quæri poteſt, quid ſit, quod nec de numero, nec de nomine legatorũ conuenit Demoſtheni cum Aeſchine, cum Vlpiano, ſecum. Nam decem fuiſſe, atque inter eos Demoſthenem ipſum, & Aeſchinem ex tam multis vtriuſque orationum locis intelligere eſt, vt pigeat in ijs deſcribendis bonas horas perdere. Miſſos autem ſecundò legatos in Macedoniam eos ipſos, qui primam obierant legationem, docet Libanius in argumẽto orationis de ementita legatione: & eorum nomina autor incertus in altera hypotheſi eiuſdem orationis hęc ponit. Cteſiphõ, Ariſtodemus, Iatrocles, Cimõ, Nauſicles, Dercillus, Phrynon, Philocrates, Aeſchines, & Demoſthenes; quẽ tamen ſi audis in calce huius pſephiſmatis quinque tantùm creatos legatos credes. Eubulum, Aeſchinem, Cteſiphontẽ, Damocratem, Cleonem, quorum nemo, ſi unum excipias Aeſchinem, inter decem ſuperiores recenſetur. Quamobrẽ non iniuria hoc totum decretum mihi ſuſpectum eſt. Quid dicam de altero illo, quo migrare omnes cum rebus ſuis in vrbem, aut arces iuſſi ſunt? quod legitur in eadem oratione pro Corona pag. 98. Sanè hoc quoque alienum videtur ab his temporibus, neque ſcriptum ea tempeſtate, qua Philippus in Græciam primùm irrupit, ſed aliquantò poſt, cum

occu-

occupatis Thermopylis arbitratu ſuo Græcos terrebat, eorumque vrbes improuiſo aduentu occupare conabatur: hoc enim ab eo ſæpe factum teſtatur Demoſthenes de legatione pag. 154. καὶ μετὰ ταῦτα ὁσάκις πρός πορθμῷ, ἢ πρὸς μεγάροις ἀκούοντες δύναμιν φιλίππου, καὶ ξένους ἐθορυβεῖτε, πάντες ἐπίσαθαι. Cur ita credam pancis exponam. Allato nuntio de Thermopylis à Philippo occupatis narrat Demoſthenes de legat. pagin. 158. decretum factum, vt omnes reciperent ſe in loca munita, arces inſtaurarentur, Piræeus muro cingeretur, Herculi in vrbe, non in agro, vt mos erat, ſacra fierent, quę tamen, ſi primum excipias, in decreto illo Calliſthenis, cuius tàm frequenter facit mentionem Demoſthenes, non leguntur. Quamquàm, vt verum fatear, fieri potuit, vt multis de eadem re factis decretis, vno contentus fuerit orator: aut ſi vnum decretum de omnibus eſt factum, non eſt nouum id eſſe mutilum, cum multa huiuſmodi extent apud Demoſthenem, & alios oratores, de qua re alibi agemus copioſiùs. Legat intereà, qui volet, in oratione in Neęram Hippocratis decretum de ciuitate Platæenſibus danda, & quæ illud ſequuntur verba oratoris: intelliget enim admodùm exiguam eius partem eſſe deſcriptam. Sed tamen Pſephiſma illud Calliſthenis poteſt alia ratione acriùs oppugnari. Nam cum primùm auditum eſt penetraſſe Philippum Thermopylas, & ſubegiſſe Phocenſes, ſcriptum eſſe hoc decretum credere par eſt, & intelligitur ex verbis Demoſthenis ſupra allatis in medium. At illud Calliſthenis ſcriptum eſt prima & viceſima die Mæmacterionis, ideſt quarto poſt menſe quàm hæc acta ſunt. Si quis erit, qui neget adduci ſe poſſe vt credat mētitum Demoſthenem in re tàm recenti, cùm præſertim pſephiſmata omnia publicè aſſeruarentur, & poſſet ab aduerſario paullo negotio coargui; is intelligat nihil fuiſſe facilius, quàm innumeris in vnum coaceruatis decretis ea mutilare, corrūpere, & ad alia, quàm

ſcripta

ſcripta eſſent, tempora accommodare. Solitum autem fieri non modò conijcere licet ex Aeſchine hoc Demoſtheni nō de nihilo obiiciente, ſed ex ipſo etiam Demoſthene, qui telū hoc anceps torquet in aduerſarium illis verbis pro Corona pag. 125. ἀλλ' οὐκ ἦν, οἶμαι, τότε ἃ νυνὶ ποιεῖ, ἐκ παλαιῶν χρόνων, καὶ ψηφισμάτων πολλῶν ἐκλέξαντα, ἃ μήτε προῄδει μηδεὶς, μητ' ἂν ᾠήθη τήμερον ῥηθῆναι διαβάλλειν. καὶ μετενεγκόντα τοὺς χρόνους, καὶ προφάσεις ἀντὶ τῶν ἀληθῶν ψευδεῖς μεταθέντα τοῖς πεπραγμένοις δοκεῖν τι λέγειν. Romę quoque ſcimus fuiſſe, qui mentirentur autoritatem ſummi ordinis, & huic rei ſępè obuiam itum.

Romanos à ſubditis tributum in capita ęquale exegiſſe, argentum denarium. Quæ contrà Iuſtus Lipſius diſputauit, reiecta, & confutata.

Caput XVIII.

NVLLIBI eſt Iuſtus Lipſius in libris de magnitudine Romana tàm diſſimilis ſui, atque in iis, quæ de tributo in capita ſcribit lib. ii. cap. iii. Sed, vt eſt ingenuus, fatetur rem habere tenebras ſuas, quas ipſe illuſtrare non poſſit. Sanè tenebras quoq; videre, & intelligere quid inter eas, & lucem interſit, eius eſt, qui polleat videndi facultate: ſed tenebras non videre non ſemper eſt cęci: quid enim ſi nullæ ſint? an ego ſi affirmem lucere meridie, cęcus iudicer? & quidem mihi in hac re meridies eſt, lux vndique affulget, ni ego illam obſcuratum eam: vt videatur interdum eas modò habere hęc diſputatio tenebras, quas ipſi nos illi offundimus. Id vt ſtatuere poſſint viri docti verò an falsò affirmem, libet afferre in medium ſententiam meam, ſed paucis. Nam erit commodior fusè de hac re agendi locus in notis ad eos de magnitudine libros, quarum γεῦμα, & ſpecimē exhibere modò in hoc opere eſt conſilium. Quæ

in

in hac diſputatione dubitationem habent,poſſunt ad capita
duo reuocari. Nam & quęri poteſt, vtrùm capitatio,quam
tributum capitulare vetus Gloſſ. vocat, ſit perſoluta ex cen
ſu, an verò certa fuerit atque uniformis pecunię ſumma,ę-
què à diuitibus & pauperibus exacta: & ſi hoc magis probe
mus, ea pecunia quanta fuerit,obſcurum eſt. Quod ad pri-
mam quæſtionis partem attinet aio eſſe multos,eoſque mini
mè obſcuros veterum ſcriptorum locos,qui doceant tribu-
to in capita nihil rei fuiſſe cum cẽſu.Familiam ducet Feſtus,
cuius hæc ſunt. *Tributorum collatio cum ſit alia in capita,
alia ex cenſu, dicitur etiam quoddam temerarium*: ſi enim
capitatio eſt ex cenſu,duo non amplius tributi erunt gene-
ra,cum tamen Feſtus tria numeret. Accedit, quod Halicar
naſſ.lib.iv.Romanarum antiquit.& Liuius lib.primo teſtatũ
reliquerunt mutatam à Seruio Tullo tributi conferendi ra-
tionẽ,& cũ ante viritim, & κατὰ κεφαλὴν,ſiue κατ' ἄνδρα exi
geretur, inſtitutũ ab eo tributum pro habitu pecuniarum,ſi-
ue ex cenſu, quod Halicarnaſſ. dicit κατὰ τὰ τιμήματα, vel
ἐκ τῆς τιμήσεως.nec multò poſt veterẽ à Tarquinio Superbo
reuocatam conſuetudinem idem tradit. Si igitur capitatio
fuit ex cenſu,quid mutatum à Seruio, quid à Superbo reſti-
tutum dicemus?Sed eamus Roma in prouincias,& quidem
in nullam potiùs quàm in Galliam,quæ ditiſſima ſemper ha
bita eſt. Ei ſubactę Iulius Cęſar Suetonio teſte in eius vita
cap. XXV. Seſtertiùm quadringenties in ſingulos annos ſti-
pendii nomine impoſuit. Epitome verò Liuiana libro
CXXXIV. cenſum Galliarum ab Auguſto actum prodit:at
que id fuiſſe opus nouum, & Gallis inadſuetum Claudius
dixit in ea oratione, quæ Lugduni adhuc in æs inciſa legi-
tur.Quod ipſum innuit Dio lib. LIII. qui tempus etiam no-
tat VII. Auguſti conſulatum,annum.ſ.V.C.DCCXXVII.
à Gallia domita,& penitus fracta XXIII.Ex horum locorũ,
quos omnes notauit etiam Lipſius,collatione inter ſe poteſt
intelligi,urgente Cæſarem belli ciuilis mole tributum ſolũ

in

in capita Galliæ impoſitum, cum cenſus agendi otium non fuiſſet. Id colligitur ad hunc modum. Stipendiorum duo ſunt genera, in capita, & in agros. Hoc poſtremum imponi cenſu non acto non poteſt; actus eſt autem Galliç cenſus ab Auguſto. Ante Auguſtum igitur non eſt in agros ſtipendium impoſitum, & ſi quod fuit, in capita fuit, & quidem, vt probare inſtitueram adeò nulla habita cenſus ratione, vt neſcirēt quidem per ea tempora Galli cenſus quid eſſet. Ex his obiter omnes intelligent, quantum à vero aberrarit Lipſius, cū ad Romanas opes augendas in immenſum, ex vno vt vocāt, millione, XV. fecit. Sed de hac re ſuo loco. Nunc tria hęc teſtimonia quamquàm ſatis, ni fallor, confirmabunt ſententiā meam; faciendum eſt tamen, vt ſcrupulos etiam, qui malè habent Lipſium, illi eximam: ſunt autem ſcrupuli, opinor, tres. Nam & videri ſibi æquum negat par onus in pauperes, atque in locupletes incumbere, quorum ſunt tàm diſpares fortunæ: & Appiani affert locum, qui, quę conſtituimus, videtur funditus euertere: poſtremò cauſſam quęrit, cur eam pecuniam, qua tributum in capita ſolutum eſt, numiſma cenſus appellent ſacrę litteræ Matt. XXII. ſi capitatio omninò à cenſu diſcernitur. Profectò ſi iuſtitiā ſpectemus, negare poſſum in republica adminiſtranda habitam ſemper fuiſſe à veteribus eius rationem. Scitum eſt illud, *Vtilitatem eſſe iuſtitię matrem:* quod video non modò à poetis, & philoſophis, verùm etiam ab iis, qui ad reipublicæ gubernacula ſederunt, cùm uerbo, tùm reipſa fuiſse comprobatum. Nam de Ariſtide, qui à iuſtitia cognomen inuenit, ſcribit Plut. in eius uita autorem laudans Theophraſtum, περὶ τὰ οἰκεῖα, καὶ τοὺς πολίτας ἄκρως ὄντα δίκαιον, ἐν τοῖς κοινοῖς πολλὰ πρᾶξαι πρὸς τὴν ὑπόθεσιν τῆς πατρίδος, ὡς συχνῆς ἀδικίας δεομένης. Et in trāſferendis ex Delo Athenas communibus Gręcorum pecuniis pręter fœdera, hoc ait ab eo dictum vſurpatum. οὐ δίκαιον μὲν, συμφέρον δὲ τοῦτ' ἐστι Ab eodem Plut. inducitur Alcibiades, μιμούμενος τοὺς ἀρίστους Λακεδαιμονίων, οἷς ἓν καλὸν ἁπλῶς,

ἁπλῶς καὶ δίκαιόν ἐστι τὸ τῆς πατρίδος συμφέρον. Notatur autẽ Lyſander præcipuè. τὸ δίκαιον ἐπὶ τῷ λυσιτελοῦντι μεγαλύνων, καὶ τῷ συμφέροντι χρώμενος ὡς καλῷ. Et, ſanè ſi tributum in capita æquale iniquum eſt, cauſſæ dici nihil poteſt, quin, Romani omnes Reges, vnó excepto Seruio, fuerint iniqui: omnes enim tributum hoc exegerunt, aut extorſerunt verius. Siue igitur Græcos, ſiue Romanos; ſed hos precipuè ſi ſpectes, ſediſſe iniuſtitiam in reipublicæ puppi, ut tibi conſtes, fateare neceſſe eſt. Quamquàm Romani, quod ad tem noſtrã facit, non ſunt mea ſententia vlli culpę affines. Cum enim ſubditi, & corpora haberent, & fortunas, & veniſſent vtraque in victoris poteſtatem, facta ſunt vtraque ſtipendiaria, ſed certo diſcrimine. Quia enim cenſus non idem erat omnium, ne parem quidem pecunię vim eo nomine omnes perſoluerunt. Capitatio verò, quia Lipſio, & Budæo teſtibus nihil erat aliud, quàm redemptio munerum, & ſeruiliũ operarum, quas victi populi, & ſerui facti Romanis debebant, fuit æqualis, atque vniformis: ęquè enim ſubacti erant omnes, æquè ſerui facti, ęquè operas & munera debebant. Hęc de iuſtitia, in cuius momentis ponderandis, animaduerti etiam aliàs non fuiſſe Lipſium, quàm poterat, & debebat, diligentem. Veniamus ad Appianum, qui in Syriacis prodit Iudęos ſæpiùs rebellaſſe, eoque tributum capitis grauius iis impoſitum, quàm reliquarum facultatum: eſſe autem & Syris, & Cilicibus annuam centeſimam pro modo cenſus vnicuique. Verba Græca hæc ſunt. καὶ διὰ ταῦτ᾽ ἐστὶν Ἰουδαίοις ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος τῆς ἄλλης περιουσίας ἐστι καὶ σύροις, καὶ κίλιξιν ἐτήσιος ἑκατοστὴ τοῦ τιμήματος ἑκάστῳ. Latina horum verborum interpretatio Lipſii eſt, qui effici ait ex ſermonis nexu, Iudæos dediſſe centeſimam, ſicut & Syros, & Cilices pro capitis ſtipendio, hoc ſenſu, vt ſoluerint quidem pro agris, & pro opibus; ſed ęſtimatione omniũ facta etiam centeſimam dederint pro capite. Ego verò quẽ ſermonis nexum dicat non video: pugnare inter ſe hanc &

Appiani ſententiam aduerſis frontibus uideo. Scribit enim
Appianus Ciliciam & Syriam vniuerſam citra vllum certa
men fuiſſe à Romanis Pompeii ductu occupatam: ſolos Iu-
dæos vi ſubactos,& Hieroſolyma diruta, quæ denuò habi-
tata Veſpaſianus euerterit,& poſtremò Adrianus ſua ętate,
atque ob eam cauſſam Iudæos grauiore in capita ſtipendio
multatos. Qui hæc prodit, is apertè ſignificat Syros, & Cili-
ces, qui neque initio repugnarant, neque poſtea defecerāt,
mitiùs habitos, neque pari capitationis onere preſſos. At
Lipſius Iudæis, Syris, Cilicibus æquale in capita ſti-
pendium imponit: pugnat igitur cum Appiano. Nexus au
tem verborum quid efficiat, vidit acutiùs Gelenius, qui hūc
locum ita vertit. *Quamobrem grauiora ſunt Iudæis tributa, quæ in
ſingula capita, quàm quæ pro cenſu conferunt.* Sed fuit mihi ſemper
hic locus ſuſpectus: qui enim Lipſium ſequatur, ei fatendum
erit, corpus quoque aut caput eſſe περιουσίαν, quod abhor-
ret à vero, & à communi loquendi conſuetudine. Gelenius
autem ſententiam potiùs ſpectauit, quàm ſingula verba, quę
ita oportuit eſſe concepta, ἢ τῆς ἄλλης περιουσίας, vt iis latina
hæc interpretatio conueniret. *Quàm quæ pro cenſu.* Nam parti-
cula, QVAM. nullibi apud Appianum apparet. Sed & ſen-
tiunt in Grecorum ſcriptis verſati deſiderari vocem, δὲ, ini-
tio eius comprehenſionis, quà tranſit hiſtoricus à Iudæis ad
Syros, & Cilices. Quamquàm igitur locum eſſe corruptum
nondum certò ſtatuo, cupio tamen videre viros doctos, an
huius particulę additio, & mutata plenę diſtinctionis ſedes,
reddere poſſit hæc uerba integriora ad hunc modum. καὶ
διὰ ταῦτά ἐστιν Ἰουδαίοις ἅπασιν ὁ φόρος τῶν σωμάτων βαρύτερος.
τῆς δὲ ἄλλης περιουσίας; & quæ ſequuntur. Hanc lectionem
qui probarit, non modò ei cenſus nullum faceſſet negotium
in ſtipendio capitis, ſed is etiam præclarum eruet ex his ver
bis antiquitatis monumentum, id eſt cenſus modum, quem
Appianus ea, quam dixi, ratione emendatus affirmabit eſſe
annuam bonorum centeſimam. Sed permitto rem totam iu-

dicio

dicio eruditorum, & ad tertium ſcrupulum accedo, quem Lipſio eximere leue negotium eſt. Cenſus enim triplicem habet vim, ac notionem. Subducta ciuium, aut prouincialium ratio cenſus dicitur, quem ſignificat Liuius illis verbis, quę ſunt ei, de luſtro cum loquitur, ſolemnia. *Cenſa ſunt ciuium capita* numero addito. Bona quoque ciuium priuatorum ac prouincialium, eorūque in tabulas publicas relatio, cenſus eſt, quem accipimus, cum nominatur Senatorius, aut Equeſter cenſus, & prędia quædam, quę ſint cenſui cenſendo. Poſtremò vnà numerum capitum, & bonorum æſtimationem cenſus complectitur, à quibus cenſores nomen habuere. Numiſma cenſus non, vt putat Lipſius, ad ſecundum genus, ſed ad primum eſt referendum; neque aliud ſignificat, quàm nummum certum, de quo mox dicam, ex cuius numero potuit eorum à quibus exigebatur, numerus intelligi. Huius rei sūt aliqua apud Dioniſium Halicarnaſſeum exempla lib. iv. quę libet afferre. Narrat igitur hiſtoricus diligētiſſimus à Seruio Tullo ſolerter excogitatam ruſticos Romanos quotannis cenſendi rationem, vt nullis confectis tabulis, quot eſſent in ſingulis pagis, qua ætate, cuius ſexus momento temporis poſſet intelligi. Paganalia igitur inſtituiſſe, & ad ea iuſſiſſe, vt qui in eūdem pagum erant contributi, conuenirent ad vnū, certumque viritim numi genus perſoluerēt, aliud viri, aliud mulieres, aliud impuberes. ἐξ οὗ συναριθμηθέντος ὑπὸ τῶν ἐφεστηκότων τοῖς ἱεροῖς, φανερὸς ὁ τῶν ἀνθρώπων ἀριθμὸς ἐγίνετο κατὰ γένη τε, καὶ καθ' ἡλικίας. Eandem rationem cognoſcendæ vrbanæ multitudinis ciuium duntaxat, qui vrbem colebant, initam ab eodem Piſo prodidit libro primo annalium, quem laudat Halicarnaſſ. ibidem. Statuit enim vt certa pecunia à propinquis inferretur pro recens natis in Iunonis Lucinæ Theſauros, pro vita functis in Veneris Libitinę, pro togam virilem ſumentibus in Iuuentutis. ἐξ ὧν ἤμελλε διαγνώσεσθαι καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν, ὅσοι τε οἱ σύμπαντες ἦσαν, καὶ τίνες ἐξ αὐτῶν τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν εἶχον. Perpurgatus eſt à

me prior locus, ad alterum igitur iam progrediamur. Tributum in capita denarius fuit, non aureus, ſed argẽteus. Denarium fuiſſe Sacroſancta Euangelia teſtantur. Nam Matthęi xxii. oblatus domino proditur denarius, cum numiſma cenſus poſtulaſſet. Quem locum ſibi propoſuit Heſychius illuſtrandum, cum illa ſcripſit. κῆνσος εἶδος νομίσματος ἐπικεφάλαιον. vel ut aliis placere uideo, ἐπικεφαλαίον. Cenſus videlicet certum eſt pecuniç genus, quo tributum in capita perſoluitur. Neque enim opinor, ab iis, qui cenſum exigebant, eſt aliud receptum pecuniæ genus, quàm denarius, non bini quinarii, non ſeſtertii quaterni, non çris ſenideni; vt ne ab iis quidem, qui admetiebantur publicum frumentum ex lege Sempronia, exacti ſunt à plebe pretii nomine, niſi ſemiſſes ac trientes, vt alibi docuimus. Cum ergò eſſet denarius in vſu promiſcuo, erui ex his Græci grammatici verbis nihil poteſt, quod euincat certum numi genus cuſum ad tributa, ſed certum duntaxat exactum, denarium ſcilicet, cuius facta erat in Euangelio mentio. Eum fuiſſe argenteum vt credam, faciunt multa. Primùm quòd de materia ſiletur, qua ratione ſoliti erant Latini ſignificare argenteum denarium κατ' ἐξοχὴν, quòd is eſſet in uſu longè, quàm aureus, frequentiore. Deinde quòd pauperes & locupletes nullo diſcrimine habebantur. Fac igitur pauperem fuiſſe, qui nihil deferret in cenſum pręter paupertatem, vxorem, & ternos pluresue ex ea liberos, quos capitis tributo iam obnoxios haberet in ſua poteſtate. Huic ſi tributi nomine quinque aurei denarii fuerunt perſoluendi, extricarit quotannis alicunde aureos noſtri æui ſcutatos cẽtenos uicenos quinos neceſſe eſt, qui veterib. quinquagenis reſpondent. At cutem illi miſero detraxiſſes facilius, quàm tantum auri abſtuliſſes: qui enim potuiſſet tertio quoque die aureum ſcutatum in ſtipendium capitis ſeponere? Opes tandem imperii Romani, & reditus percepti ex ſubiectis Prouincijs, ſi aureus denarius ſtipendium capitis fuit, ad ſummam perueniunt tàm improbam, vt ludere Lip-

ſius

ſius uideri poſſit, cum in unum congeſtis immenſis auri acer-uis tributa annua centum quinquaginta millionibus æſtima uit. Agè enim, ſedeamus ad calculos, & ſolius Aegypti redi tuum rationem ineamus. Teſtatur Ioſephus coluiſſe eam regionem hominum ſeptuagies quinquies centena M. qui tributum penderent in capita, Alexādrinis exceptis, qui ad CCC.M. fuerunt liberorum capitum, vt ex Diodoro Lipſius notauit. Hi ſinguli ſi ſtipendii nomine in capita aureum denarium quotannis perſoluerunt, ſiue aureos noſtros quinos & vicenos, ſola Aegyptus in ærarium intulit capitationis nomine quotannis cētum nonagintaquinque milliones. Adde Gallias, quę plus etiam dederunt, quàm Aegyptus. Adde Hiſpaniam & Africam, Syriam & Aſiam, Græciam & Illyricum, Inſulas ſimul omnes: quæ iuga, vt ita dicam, ſin gula tantum dediſſe affirmat Lipſius, quantum Galliam, & Aegyptum; iam videbis in ęrarium Romanum tantum aurū illatum, vt ad ludicram illam mille millionum Veſpaſiani ſū mam explendam vrinario vectigali nihil opus fuerit, cum Romani ex ſola capitatione quotannis bis mille aureorum milliones perciperent, quę auri vis cum vota etiam ſuperet, nedum fidem, nihil video cauſſæ, quin hęc tota de aureo de nario ſuſpicio ſit pluma leuior iudicanda. Niſi fortè quem commouet Lampridii locus hic in Alexandro. *Vectigalia publica ita contraxit, vt qui decem aureos ſub Heliogabalo præſtiterant, tertiam partem auri præſtarent; tuncque primùm ſemiſſes aureorum formati ſunt, & tremiſſes, dicente Alexandro etiam quartarios futuros quòd minùs non poſſet. Quos etiam formatos in moneta detinuit, expectans vt ſi vectigal contrahere potuiſſet, eos ederet.* Qui tamen locus inuitus ac repugnās trahitur ad tributa; cum reuera in eo de vectigalibus agatur, id quod ne Lipſius quidem negare audet, & verè ante eum affirmauit Budęus. At ridiculum tributum eſt denarius argenteus in capita. Leue fortaſſe, at minimè ridiculum, ei præſertim, qui trecentos ponat in orbe Romano hominum milliones, à quibus ſingulis argenteus dena

riis

rius exactus efficit Romano more ſeſtertium duodecies mil lies,qui triginta ſunt milliones, quam pecuniæ vim qui pu- tant ridiculam,ii montes auri per me rideant licet.

Panem biſcoctum in delitijs olim fuiſſe. Athenæus, qui hoc tradit, à magni viri reprehenſione uindicatus.

Caput XIX.

Διπύρους ἄρτους ideſt panes recoctos,& bis ignē expertos, qui uulgo adhuc biſcocti appel- lantur,ſcribit Athenæus lib. iii. in delitiis ha- bitos olim,& valdè lautos fuiſſe. Contrà Sui das abiicere eos videtur, & vulgares facere. allato hoc incerti autoris loco,qui in voce σισύρα integrior legitur: οἱ δὲ ἐς Βυζάντιον ἧκσαν σισύρας ἐπὶ τῶν ὤμων αὐτοὶ φέροντες, ἐν οἷς δὴ ἄλλο οὐδὲν, ὅτι μὴ διπύρους ἄρτους οἴκοθεν ἐμβεβλημένοι ἀφίκοντο, Quibus locis inter ſe collatis vir doctus Græcæ linguæ egregiè intelligens, ita Suidæ eſt aſſenſus vt negarit induci ſe poſſe ad credendum,hos panes τῶν τρυφώντων & delicatorum fuiſſe: qua in re cauſſę, cur ab eo diſ- ſentiam,multæ ſunt. Primò enim cum multa apud antiquos panis fuerint genera, nihil impedit, quin panem primarium & puriſſimum,qui ex farina fiebat cribro pollinario ſuccre- ta,lautioribus piſtores recoquerent; ſecundarium autem,& cibarium, ſiue ſordidum pauperioribus. Deinde vt demus ſcriptoris eius æuo,cuius teſtimonio vtitur Suidas, rem ſic habuiſſe,nec recoqui ſolitum panem,niſi in eorum gratiam, qui terra mariue longum iter ſuſciperent; quis ideò nega- bit Eubuli ętate, ideſt multis, meo quidem animo, antę ſę- culis in vſu frequenti fuiſſe, menſiſque lautiorum expeti po tuiſſe,recentem præcipuē, imò adhuc à coctione calentem? Præterquàm quòd in Venetorum triremibus, vt panę illo, cuius fortaſſe apud Suidam mentio eſt, ſocios nauales, ſic il lo Athenęi Trierarchos vti vidi miro candore & ſuauitate:

qualem

qualem etiam Romæ in menſis potentiorum uidere memini, quo vix confici candidiorem poſſe autumo. Sunt etiam hoc tempore piſtores in Italia, qui farinam, non aqua ſolùm, ſed roſarum etiam ſucco ſaccharo addito ſubigunt, panemque ex ea confectum, & in offas tenues diſſectum recoquunt, venalemque circumferunt. *Hi biſcotti*, aut imminuta forma, *biſcottini* vulgo appellantur; quos ipſos δίπυρους Athenęi panes non eſſe delicatos, & τρυφερούς poſſum certò affirmare, cum ſciam veteres inter luxuriæ inſtrumenta ſaccharum non habuiſſe, ac medicis ferè ad ęgros ſanandos vſum illius reliquiſſe, Plinio teſte libr. xii. cap. viii. Panis recoctus à Grçcis recentioribus παξαμᾶς dictus eſt, vt Suidas docet. Quã vocẽ cũ Romanam eſſe affirmat, intelligendum eſt fuiſſe à Byzantiis vſurpatam, qui poſt tranſlatum Conſtantinopolim Romanum imperium frequenter à Græcis Romani ſunt appellati: huiuſmodi etiam eſſe ἰγγρουσίαν & alias non paucas voces arbitror. Hac qua de agimus vitiata & corrupta, Græci nunc vulgo panem ψωμί appellant.

Ut Saluſtium Catilinariæ coniurationis & belli Iugurthini, ſic Tacitum Annalium, & hiſtoriarum initium eodem argumento ſcripſiſſe. Qua uarietate id obſcurare vterque ſit conatus.

Caput XX.

HVMANVM ingenium certis quibuſdam circundatur cancellis, quos vltra progredi aut non vult, aut non poteſt. Sunt enim qui per ignauiam & fugam laboris longè conſiſtunt à meta, ad quam, ſi paullùm modò niterentur, fortaſſe peruenirent: ſunt contrà, qui cum ſibi ipſis non deſint, nihil tamen promouent: ſic in rebus humanis ludit natura. Saluſtio & Tacito hiſtoricis primarum partium vtrùm inueniendi facultas, an voluntas defuerit, non facilè dixerim; hoc ſcio idem eſſe argumentum principii eius, quo ille in Catilinaria coniuratione, & bello Iugurthino, hic autem in hiſtoriis, & annalibus vtitur. Quod ut intelligant, qui nondum obſeruarunt, eſſe veriſſimum, primùm initii vtriuſque ſententiam, deinde ſingulas partes inter ſe collatas ſubiiciam. *Hominis*, inquit, Saluſtius, *duæ ſunt partes, anima, & corpus: totidemque genera ſtudiorum. Quantò animus corpori præſtat, tantò rectius eſt excolere ingenium. Ad hanc laudem duabus præcipuè graſſari poſſumus uijs, faciendo, & facta aliorum ſcribendo. Mihi res geſtas populi Romani memoriæ prodere conſilium eſt, quando ab adminiſtratione reipublicæ corruptis moribus arceor.* Huius ſententiæ membra hęc ſunt.

In Catilin. *Noſtra omnis uis in animo, & corpore ſita eſt.*

In Iugurth. *Genus hominum compoſitum ex anima, & corpore eſt: ſtudiaque omnia noſtra, corporis alia, alia animi naturam ſequuntur.*

In Catil. *Diuitiarum, & formæ gloria fluxa, atq; fragilis eſt: virtus ingenij clara æternaq; habetur.*

In Iugurth. *Præclara facies, magnæ diuitiæ, adhæc uis corporis, &*

alia

alia omnia huiuſcemodi breui dilabuntur: at ingenij egregia facinora, ſicuti anima, immortalia ſunt. Poſtremò corporis, & fortunæ bonorum, vt initium, ſic finis eſt. Omnia orta occidunt, & aucta ſeneſcunt: animus incorruptus, æternus. In loco illo ex Catil. ſcripſi. *Virtus ingenij clara.* non ſolùm quia ſic habebant tres manuſcripti mei; ſed etiã vt illis reſponderet ex Iugurth. *Ingenij egregia facinora.*

In Catil. *Sed multi mortales dediti ventri atq; ſomno, indocti, incultiq; vitam ſicut peregrinantes tranſegere.*

In Iugurth. *Quo magis prauitas eorum admiranda eſt, qui dediti corporis gaudijs per luxum, & ignauiam ętatem agunt.*

In Catil. *Sed in magna copia bonarum artium, quarum fama quæritur.* (Nã in m. ſſ. meis non legitur, rerum) *aliud alij natura iter oſtendit.*

In Iugurth. *Cum præſertim multæ ſint artes animi, quibus ſumma claritudo paratur.*

In Catil. *Pulchrum eſt benefacere reipublicæ: & benè dicere haud abſurdum eſt. & qui fecere, & qui facta aliorum ſcripſere laudantur.*

In Iugurth. *Verùm ex his magiſtratus & imperia, poſtremò omnia iura rerum publicarum minimè mihi hoc tempore capienda uidentur.* &c. *Ceterum ex alijs negotijs, quę ingenio exercentur, in primis magno uſui eſt memoria rerum geſtarum.*

In Catil. *Mihi reliquam ętatem procul à republica habendam decreui.*

In Iugurth. *Decreui procul à republica ætatē agere.* Vides vtrobiq; eãdē ſentētiã. Sed operæ prętiũ eſt defigere obtutũ in eã &, uarietatē, qua vtrũq; initiũ diſtinxit Saluſtius. Principio. n. Catilinario excitat nos ad gloriam, Iugurthino autem languorem, ac deſidiam excutit. Quo fit vt τὸ ἐνδόσιμον aliud, atque aliud ſit; quod præterea ne vna quidem eademque ratione tractatur. Nam in Catil. vitam negat ſilentio tranſeundam, idque paucis verbis. In Iugurth. autem falsò ait de natura ſua quæri genus humanum, idque multis oſtendit. Quod autem in vtroque initio ſubiicit de homine com-

M poſito

poſito ex corpore & anima, id aptat egregiè vtrique ſenten tię, & ſcopò, quem habet propoſitum, ita vt in eo etiã quęſita varietas uideatur. Præterea in animi ſtudiis corpori præ ferendis non eundem in vtroque libello ordinem ſeruat: ſed in Catilinaria rectius eſſe concludit ingenii, quàm virium opibus gloriam quęrere, ante quàm corporis bona & virtutem contendat inter ſe, & multis interiectis eos damnat, qui corporis voluptatibus indulgent. Contrà in Iugurth. collatio corporis, & animi bonorum primum obtinet locum; huic ſubnéctitur eorum criminatio, qui dediti corporis gaudiis ętatem agunt, quę complexionis uim habet. Ad hęc in Catil. antequàm perueniat ad eas artes, quibus parari clari tudo poteſt, quęrit uine corporis, an uirtute animi res militaris magis procedat, de qua re in Iugurth. nę verbum quidẽ. Accedit, quod in Catilin. duas illas artes, quibus fama quæritur, proponit: at in Iugurth. miſſa propoſitione agit de ſingulis. Præterquàm quòd cauſſę, quibus abduci potuiſſet ab hoc ſtudio, ſunt diuerſæ. In Catil. deterreri ſe ait potuiſſe his pręcipuè rationibus: Quòd haud quaquam par gloria ſequitur ſcriptorem, & autorem rerum: & quòd in primis arduum videtur res geſtas ſcribere. In Iugurth. autem quòd futuri erant, qui tanto, tamq; vtili labori nomen inertiæ imponerent. Quamobrem hanc rationem diluit, illas non item. Cauſſa poſtremò, quà adductus Romanam hiſtoriam ſcribẽdam ſuſcepit, quamquàm vna, eademque in vtroque initio affertur, corruptela reipublicę; variè tamen tractatur, & in Catil. ſemel tangitur, in Iugurth. autem ſemel & iterum, ita tamen vt poſterior locus priorem illuſtret. Prior locus eſt. *Magiſtratus, & imperia, poſtremò omnis cura rerum publicarum minimè mi hi hac tempeſtate capiunda videntur: quoniam neque uirtuti honos datur, neque illi, quibus per fraudem ius fuit, tuti, aut eò magis honeſti sũt.* Poſterior locus eſt. *Quis eſt omnium his moribus, quin diuitiis et ſumptibus, non probitate, neque induſtria cum maioribus ſuis contẽdat? Etiam homines noui, qui antea per uirtutem ſoliti erant nobilitatem ante-*

M *teue-*

teuenire, furtim, & per latrocinia potius, quàm bonis artibus ad imperia, & honores nituntur: proinde quaſi pretura & conſulatus, atque alia omnia huiuſcemodi per ſeipſa clara, & magnifica ſint, ac non perinde habeantur, vt eorum, qui ea ſuſtinent, virtus eſt.

Iam veniamus ad Tacitum, qui Saluſtium eſt in eodem vtriuſque initii argumento, eiuſque varietate, vt mihi quidē videtur, imitatus. *Stante*, inquit, *republica res Populi Romani non minus liberè, quàm eloquenter memoratæ ſunt; ea collapſa vnà etiam magni ſcriptores & clara ingenia ceſſerunt, & corrupta eſt multis modis veritas, quam mihi ſanctam fore polliceor.* Sunt autem in vtroque proemio hę partes ſimiles, aut veriùs eędem. In annalibus docet quandiu uerax & incorrupta Romana hiſtoria fuerit his verbis. *Veteris reipublicę proſpera vel aduerſa claris ſcriptoribus memorata ſunt: temporibuſque Auguſti dicendis non defuere decora ingenia, donec gliſcente adulatione deterrerentur.*

In Hiſtor. *Poſt conditam vrbem ſeptingentos & viginti prioris æui annos multi autores retulerunt: dum res Populi Romani memorabantur pari eloquētia, ac libertate. Poſtq̄ bellatum apud Actium, atque omnem poteſtatem ad vnum conferri pacis interfuit, magna illa ingenia ceſſerè.*

In Annal. Sic aperit cauſſas temeratæ veritatis, pręter adulationem, de quā ſupra erat dictum. *Tiberij, Caijq; & Claudij, ac Neronis res florentibus ipſis ob metum falſæ; poſt quā occiderant, recentibus odijs compoſitæ ſunt.*

In Hiſt. *Simul veritas pluribus modis infracta primùm inſcitia reipubl. vt alienæ, mox libidine aſſentandi, aut rurſus odio aduerſus dominantes.*

In Annal. proponit materiem operis, & fidem profitetur ad hunc modum. *Conſilium mihi pauca de Auguſto, & extrema tradere: mox principatum Tiberij, & cetera ſine ira, & ſtudio, quorum cauſſas procul habeo.*

In Hiſtor. *Mihi Galba, Otho, Vitellius nec beneficio, nec iniuria cogniti. Dignitatem noſtram à Veſpaſiano inchoatam, à Tito auctam, à Domitiano longiùs prouectam non abnuerim; Sed incorruptam fidem profeſſis nec amore quiſquam, & ſine odio dicendus eſt.* Hæc ſunt vtri-

que initio communia. Illa iam propria ſingulorum, quòd præcipuas reipublicę mutationes ab V.C. vſque ad Actiacam pugnam enumerat in ipſo Annalium, ut ita dicam, veſtibulo; at hiſtorias ab ipſo earum argumento exorditur.

Quę autem de Auguſti temporibus dicit uſque adeò ſūt varia, vt etiam diſcrepantia videantur. Extincto enim Antonio annos quatuor & quadraginta ſolus imperauit Auguſtus. Si igitur poſtquàm bellatum eſt apud Actium, magna ingenia ceſſerę, quì fieri poteſt, vt Auguſti tempora dixerint? Sed conſtat ſibi ipſi Tacitus, & hoc dicit, ex quo Actiaca pugna Antonius eſt uictus, & Auguſti vnius nutu, atque imperio geri cœpit reſpublica;

Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri

cępiſſe præclara illa ingenia, & paullatim gliſcente adulatione eſſe dilapſa. Quamquàm igitur qui Auguſti tempora dicerent, non defuerunt, quò tamen quiſque recentior, eò fuit minùs liber. Qua adductus cauſſa Tacitus, quamquàm non ſola, pauca de Auguſto, eaque extrema tradidit. Hic animaduerto ſolam aſſentationem ex eius ſententia Auguſti temporum hiſtoriam corrupiſſe. Res autem Tiberii, Caiique & ſucceſſorum, quò minùs uerę poſteris traderentur, fecit prætereà metus, atque odium, vt in annalibus tradit. At in hiſtoriis facta odii, atque adulationis mentione de metu ſilet, eiuſque loco inſcitiam reipublicæ vt alienę commemorat. Ab odio tamen atque adulatione pleraque omnia orta mendacia ſatis indicat illis verbis. *Ita neutris cura poſteritatis inter infenſos, vel obnoxios.* Ambitionis autem & liuoris collatio in hiſtoriis poſita, nulla eſt in annalibus. Diſcrimen inter cetera vel tacente me ſatis clarum: quia enim odii atque amoris cauſſas in hiſtoriis procul non habet, pluribus uerbis mendacii ſuſpicionem à ſe amolitur. Aliud poſtremò hiſto-

ria-

riarum opus,ſi vita ſuppeditet,pollicetur; à quo promiſſo in annalibus,quos ſenex ſcripſit, abſtinuit. Hæc tantùm eram pollicitus in capitis indice;ſed libet auctarii loco,aut ἐπιμέτρου uerba Photii in bibliotheca in medium afferre, ex quibus & proemia Theopompi atque Ephori hiſtoriarum fuiſſe ſimillima, & huius rei cauſſa conſtabit. Cum ergò auditum ab vtroque Iſocratem dixiſſet,& propoſitam utrique à magiſtro hiſtoriæ materiam hęc addit. διὸ καὶ τὰ προοίμια αὐτοῖς τῶν ἱστοριῶν τῇ τε διανοίᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις ἐστὶν ὁμοιότατα, ὡς ἂν ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἀφετηρίας ἐκδραμόντων (lego ἐκδραμόντος) ἑκατέρου πρὸς τὸ στάδιον τῆς ἱστορίας.

Interamnas olim in Italia tres fuiſſe; Plinium memoria lapſum videri.
Caput XXI.

QVAMQVAM multæ erant in Italia vrbes inter amnes ſitæ,non omnes tamen dixerunt Latini Interamnas, ſed quibus nomen id fuit,à ſitu fuit. Tria verò apud veteres in Italia opida obſeruaui hoc nomine,vt in diuerſis regionibus, ita uariis cognominibus, quorum duo in ueterum ſcriptis occurrunt frequenter, tertium rarò,atque ideò eſt uetuſtatis tenebris propè obſcuratum. Via Latina ad confluentes Liris & Caſini fuit Interamna Latinarum vrbium vltima, quò M. Valerio, P. Decio Coſſ. colonia Romana eſt deducta. Autores Liuius lib.ix.& x. Strabo lib. v. alii. Colonis Lirinatibus aut Lirinenſibus cognomen fuiſſe intelligere eſt ex vetere inſcriptione,quam edidit Panuinius.

P. TVRCIO P. F. SEVERO
II VIRO CVRAT. REIP. INTERAMNAT.
LIRIN. EORVMDEM PATRONO COL.
CASSINATES.

Hu-

Huius vrbis, quæ iampridem interiit, ruinæ ad Lirim hodie-
que oſtenduntur. Altera Interamna erat Vmbrorum Nare
Flumine cincta eodem, quo ciues, cognomento Nahars, de
qua hęc extat vetus inſcriptio, quam Aldo Manutio debe-
mus.

IMP. CAESARI DIVI
TRAIANI PARTHICI
FIL. DIVI NERVAE NEP.
TRAIANO HADRIANO
AVG. PONTIF. MAX. TRIB.
POTEST. COS. II. P. P.
III. VIR. VIAR.
Q. TAMVDIVS Q. F. PALAN.
GRAIVS VIENNA.
L. VAL. L. F. OVF.
TYRANNVS INTERAMN.
NAHARTI * IVL. TI. F. STEL.
VERECVNDIANVS BONONIA.
Q. TAMVDIVS. S. F. * ARRIVS
REATE FAC. CVR.

Interamnates Nartes memorat, vt mittam ceteros. Plinius
lib. iii. cap.xiv. Hæc vrbs hodieque floret, vulgoque Ter-
ni, vel Terani appellatur. Tertia Interamna erat in Piceno in
agro Præcutinorum ex Ptolemęo lib. 3. Geograph. cap. pri-
mo, quam Paleſtinæ cognomine à ceteris diſcretam ſatis ap
paret ex libro de limitibus agrorum vbi de agro Cingulano
agitur. *Ager qui à fundo ſuo tertio, vel quarto vicino ſitus eſt, in iu-
geribus iure ordinario poſſidetur, ſicut eſt Interamna Paleſtina Piceni.*
Vbi legendum Paleſtina recto caſu docet, nō ſolùm cogno-
menti ratio, ſed alter etiam eiuſdem libri locus, vbi tamē nō
vt ſupra, *Interamna*, ſcriptum eſt, ſed *Teramne Paleſtina Piceni*,
& quidem Alphabetica ſerie. Sed corruptus eſt, vt mihi qui
dem videtur, locus ab iis, qui hæc fragmenta ex uariis autori
bus in vnum collecta digeſſerunt arbitratu ſuo, & non Te-
ram-

ramne, ſed Interamna eſt verum Coloniæ huius nomen. Nã
Coloniam fuiſſe ex vtroque horum ſatis intelligitur. Cenſe
tur hęc vrbs in Regno Neapolitano, & Teramo vocatur,
quæ vox propiùs, quàm Terni, accedit ad vetus nomẽ. Si'a
eſt in Abrutio, vt nunc appellant, quod Picenum veteribus
fuit, ad confluentes Viciolæ, & Tordini: hunc Plinio Iuuena
tiumi eſſe uolunt, illius priſcum nomen adhuc ignoratur. Mi
hi aliquando uenit in mentem ſuſpicari, vt earum, quas ſu-
pra memorauimus, vrbium altera à Nare, à Liri altera, vtra
que à flumine, ad quod erat ſita, cognomentum ſumpſit; ſic
Interamnę huic Paleſtinę à proximo fluuio impoſitum co-
gnomen: neque hoc ſolùm, ſed ciues quoque Paleſtinos eſ-
ſe appellatos, & Interamnam Latinam Lirinatem dictam In-
teramnæ Vmbrorum exemplo, vt cùm ciues, tùm vrbs di-
ſcernerentur à ceteris uno eodemque cognomine. Alios ab
his, quorum eſt à nobis mentio facta, Interamnates colloca-
re uidetur Plinius in Sabinis lib. iii. cap. xii. ſed eum memo-
ria lapſum veri admodùm ſimile eſt, cum Nahars Interamna
ſita ſit in ipſis Vmbrorum & Sabinorum finibus; & lis ſit in-
ter autores de regione, in qua eſt collocanda. Litis cauſſa,
quòd vrbs vtrinque cingitur Nare, qui Sabinos diuidit ab
Vmbris. Quamobrem eam utrique ſibi uindicant. Appẽdix
huius capitis erit Interamnanas terras ab Alexandro Seue-
ro in oratione de rebus à ſe geſtis contra Perſas Lampridio
teſte, vocatam fuiſſe eam regionem, quæ quòd hinc Euphra
te, inde Tigri alluitur dicta eſt à Græcis μεσοποταμία, & Am
phipolim ab Agnone Athenienſi cõditam in Thracia Olym
piade. lxxxvi. nomen habuiſſe à Fluuio Strymone, qui eius
vtrumque latus cingebat autore Thucydide lib. iv. & Ste-
phano.

Iſis Græcane vox ſit, ut vult Plutarchus, an Aegyptia. Huius Deæ nomen Latinum inuentum atque illuſtratum.

Caput XXII.

QVOD vſu urbibus uenit, vt nulla ſit vſque adeò frequẽs,& ciuibus referta, quin aliquot incolas alat,& peregrinos, quos aliquando ci uitate donatos non ipſa ſibi gignit,ſed aliis ge nitos occupat; id accidit in qualibet lingua quamuis vbere & copioſa: nulla eſt enim quæ non ab aliis quædam mutuetur, quæ deinde non origine, ſed uſu efficit ſua. Nos Itali quàm multa à Gallis, ab Hiſpanis, à Gotthis, atque ab ipſis adeò Arabibus habemus? Nam Latinę quidem propaginem eſſe linguam noſtram apud omnes in con feſſo eſt. Latina ipſa multa hauſit è Gręca, hæc porrò ab He braica, Syriaca, Aegyptia multò plura, quàm prę ſe ferat. Soli enim ex omnibus Græci fateri quodammodo erubeſcunt linguam ſuam uoce vti aliena, & aliquando adeò αὐτάρκη, ſibique ſufficientem non eſſe, ut, quod ille ait apud Plautum, ſuo ſibi ſucco uiuere poſſit. Quamobrẽ, vt ſolent plagiarii, uoces infuſcant, inque eo intendunt omnes induſtriæ neruos, vt mentita earum origine veram obſcurent, atque obruant. Hic irritus eorum conatus ſexcẽties à me apud Grammaticos eſt obſeruatus. Illi enim cenſus nomen ἀπὸ τοῦ καίνω deducunt; candelę ἀπὸ τοῦ καίειν δῆλα; mantilis παρὰ τὸ μάττειν τὴν ὕλην; paradiſi παρὰ τὸ δεῖσαι ποιεῖσθαι. Q[…]od tamen poſtremum Hebraicæ, aut Syriacæ linguæ pr[…]prium eſſe, vt reliqua latinæ luce meridiana clarius eſt. Detur tamẽ hæc grammaticis venia, vt voces alienas, quas mala fide po[…]ſident, videri velint ſuas, eiuſque artis, quam profitentur, fines patere quàm latiſſimè: quid philoſophis faciemus, qui de vocibus digladiantur, & certò alienas linguę ſuę vindicant?

cant? Quam ad philoſophiam acceſſionem hac ratione fieri dicemus? & pugnant tamen vt pro aris & focis. Ne multis aut recenſendis, aut refellendis ſim longior, vnum mihi in præſentia proponam, cui reſpondeam; ab eo reliquos lector diſcet. Is erit Plutarchus in libello de Iſide & Oſiride, qui dum Iſidis nomen Grçcum eſſe perſuadere nobis enititur, & vnum ἐκ τῶν τοῖς μεθισαμένοις ἐκ τῆς ἑλλάδος ἐκπεσόντων, καὶ ἔτι ξενιτευόντων παρ᾽ ἑτέροις vertit ſe in omnes facies neque hilum proficit. Nunc enim τῷ ἱέναι originem debere vult, nunc τῷ εἰδέναι aut τῷ ἴσασθαι, nũc vtrique. Ego verò in Iſidis nomine τοῦ ἱέναι præter vnam litteram reperio nihil, quæ ſi ad veram nominis originem indicandam eſt ſatis, iam nulla erit vox, cuius etymologiam nõ facilè quiuis poſſit indagare. Ad alterum vero illud etymon quod attinet, quis fieri poſſe neget, vt Græci in tanta linguç ſuæ copia vocem habeant aliquam, quç accedat proximè ad aliam alterius linguæ, & cognationem cum illa habere videatur, cùm reipſa habeat nullam? Siculum piſcatorem accepimus Surç proconſulis adeò ſimilem fuiſſe, vt ob eam cauſſam vocata in dubium fuerit matris eius pudicitia. Quidni hoc ipſum accidat in linguis, & Aegyptia vox quaſi parentem Græcam habere falsò videatur? Cum prçſertim Iſidis nomen certam apud Aegyptios habeat originem, & antiquam ſignificet Diodoro teſte libro primo. Quibus adde Aegyptiam hanc deam eſſe, & in Aegypto natam, vt non magis Græcum ſit Iſidis nomen, quàm Iſis Græca. Teneo te, inquies: Iſis enim Græca eſt. Ain verò? Græca inquam, Aſopi filia à Iunone zelotypa œſtro acta in Aegyptũ. Papæ. Ego verò à Clemente & Diodoro inductus multò Iſim hac Aſopi filia antiquiorem putabam, & ſi par fuiſſet, Cererem potiùs, vt Stephano & aliis quãplurimis placet. Sed poſſumuſne ſcire huius Aſopi filiæ nomen. Io eſt. Non Iſis igitur. Iſis quoque poſtquàm relata eſt in numerum deorum. Vbi? in Aegypto. Cum primùm igitur buccula illa veſtra, quç ſpeciem hominis iampri

N dem

dem exuerat, diis aſcripta eſt, tunc etiam Io in Iſidem mutata: ut illam conſeruarunt Aegyptii, ſic Iſidem fecerunt; vt illorum beneficio cęlum, ita & nomen habet. Sed reprimam me, nec immorabor diutiùs in aperto mendacio refellendo. Vnum hoc addam Apollodorũ bibliothecę lib. 2. tàm apertè mentiri non auſum hęc ſcripta reliquiſſe ἱδρύσατο δὲ (Io in Aegypto) ἄγαλμα δήμητρος ἣν ἐκάλεσαν ἶσιν αἰγύπτιοι, καὶ τὴν ἰὼ ἶσιν ὁμοίως προσηγόρευσαν. Illud animaduerſione dignũ eſt, Latinos cognito huius deæ ſacra myſtica eſſe, & longè maximam philoſophię partem illis contineri Erudnam eam ab erudiẽdo vocaſſe. Vetus Gloſſ. Erudnæ ἰσιδος. Latinum hoc Iſidis nomne primus ego, ni fallor, è vetuſtatis tenebris eruo atq; hoc Plutarchi loco ex eodẽ libro de Iſide & Oſiri de ſub initiũ illuſtro. θεὸν σὺ θεραπεύνεις ἐξαιρέτως σοφὴν, καὶ φιλόσοφον οὖσαν. Et mox. ἱερὸν λόγον ἣ θεὸς συνάγει, καὶ συντίθησι, καὶ παραδίδωσι τοῖς τελουμένοις θειώσεως σώφρονι μὲν ἐνδελεχῶς διαίτῃ καὶ βρωμάτων πολλῶν καὶ ἀφροδισίων ἀποχαῖς κωλυούσαις τὸ ἀκόλαστον καὶ φιλήδονον, ἀθρύπτους δὲ, καὶ στεῤῥὰς ἐν ἱεροῖς λατρείας ἐθιζούσης ὑπομένειν, ὧν τέλος ἐστὶν ἡ τοῦ πρώτου, καὶ κυρίου καὶ νοητοῦ γνῶσις ὃν ἡ θεὸς παρακαλεῖ ζητεῖν παρ' αὐτῇ, καὶ μετ' αὐτῆς ὄντα καὶ συνόντα, & quę ſequuntur in eandem ſententiam. Quibus adde ex eodem Plutarcho ſolitos Aegyptios Iſidem crebrò appellare Mineruæ nomine, id eſt Sain, quę dea patrona, & præſes habita eſt bonarum omnium artium.

Iuſtum Lipſium Tibulli locum è libro primo elegia.iiij. malè interpretatum uideri. Is locus illuſtratus.
Caput XXIII.

NOBILIS eſt,& à multis tentatus hic Tibulli locus, de quo diſputare ſtatui in pręſentia. Nam & Muretus,& Achilles Statius,& Lipſius, Deus bone qui viri? viam nobis aperire ad ſententiam eius aſſequendam ſunt conati: poſt quos admouebo ego quoque ad eum manus, nō vt cum illis certem, ad quorum eruditionem vix audeo auſpirare, ſed vt illuſtrem pro virili mea bonos autores. Tibulli verſus hi ſunt.

Hæc tibi vir quondam nunc frater, caſta Neæra
Mittit, & accipias munera parua rogat.
Teq́, ſuis iurat caram magis eſſe medullis
Siue ſibi coniux, ſiue futura ſoror.
Sed potius coniux. Huius ſpem nominis illi
Auferet extincto pallida Ditis aqua.

Muretus id quomodo acciderit, coniectura ſe aſſequi negat, ut qui antea uir fuerat, nunc ſit frater; idemq́ue ſperet, quę nunc ſoror eſt, aliquādo coniugem fore. Docet Lipſius fratres olim à puellis appellatos amatores ſuos, quibus dare conſueuerant: Sperare autem Lygdamum fore, vt Neęra amica ſecum legitimis nuptiis copularetur. Imò, inquit Statius in comment. in Catullū, fratris nomine poeta caſtum atque integrum amatorem ſignificat. Sed hanc illi ſententiam Lipſius eripuit ueram eſſe. Quamobrem in comm. in Tibullū palinodiam canit,& fratrem idem ait hic valere, quod mœchum. Ego dicam primum de uiro. Spoponderat Lygdamo Neęra ſe illi uxorē futurā, ſed antequàm id fieret, mutata ſen

dem exuerat, diis aſcripta eſt, tunc etiam Io in Iſidem mutata: ut illam conſeruarunt Aegyptii, ſic Iſidem fecerunt; vt illorum beneficio cęlum, ita & nomen habet. Sed reprimam me, nec immorabor diutiùs in aperto mendacio refellendo. Vnum hoc addam Apollodorū bibliothecę lib. 2. tàm aperte mentiri non auſum hęc ſcripta reliquiſſe ἱδρύσατο δὲ (Io in Aegypto) ἄγαλμα Δήμητρος ἣν ἐκάλεσαν Ἶσιν αἰγύπτιοι, καὶ τὴν Ἰὼ Ἶσιν ὁμοίως προσηγόρευσαν. Illud animaduerſione dignū eſt, Latinos cognito huius deæ ſacra myſtica eſſe, & longè maximam philoſophię partem illis contineri Erudnam eam ab erudiēdo vocaſſe. Vetus Gloſſ. Erudnæ Ἰσιδος. Latinum hoc Iſidis nomne primus ego, ni fallor, è vetuſtatis tenebris eruo atq; hoc Plutarchi loco ex eodē libro de Iſide & Oſiride ſub initiū illuſtro. θεὸν σὺ θεραπεύεις ἐξαιρέτως σοφὴν, καὶ φιλόσοφον οὖσαν. Et mox. ἱερὸν λόγον ἡ θεὸς συνάγει, καὶ συντίθησι, καὶ παραδίδωσι τοῖς τελουμένοις θειώσεως σώφρονι μὲν ἐνδελεχῶς διαίτῃ καὶ βρωμάτων πολλῶν καὶ ἀφροδισίων ἀποχαῖς κωλυούσαις τὸ ἀκόλαστον καὶ φιλήδονον. ἀθρύπτους δὲ, καὶ στερρὰς ἐν ἱεροῖς λατρείας ἐθιζούσης ὑπομένειν, ὧν τέλος ἐστὶν ἡ τοῦ πρώτου, καὶ κυρίου καὶ νοητοῦ γνῶσις ὃν ἡ θεὸς παρακαλεῖ ζητεῖν παρ' αὐτῇ, καὶ μετ' αὐτῆς ὄντα καὶ συνόντα, & quę ſequuntur in eandem ſententiam. Quibus adde ex eodem Plutarcho ſolitos Aegyptios Iſidem crebrò appellare Mineruæ nomine, id eſt Sain, quę dea patrona, & præſes habita eſt bonarum omnium artium.

Iuſtum Lipſium Tibulli locum è libro primo elegia.iij. malè interpretatum uideri. Is locus illuſtratus. Caput XXIII.

NOBILIS eſt,& à multis tentatus hic Tibulli locus, de quo diſputare ſtatui in præſentia. Nam & Muretus,& Achilles Statius,& Lipſius, Deus bone qui viri? viam nobis aperire ad ſententiam eius aſſequendam ſunt conati: poſt quos admouebo ego quoque ad eum manus,nō vt cum illis certem, ad quorum eruditionem vix audeo auſpirare,ſed vt illuſtrem pro virili mea bonos autores. Tibulli verſus hi ſunt.

Hæc tibi vir quondam nunc frater, caſta Neæra
Mittit, & accipias munera parua rogat.
Teq́, ſuis iurat caram magis eſſe medullis
Siue ſibi coniux,ſiue futura ſoror.
Sed potius coniux. Huius ſpem nominis illi
Auferet extincto pallida Ditis aqua.

Muretus id quomodo acciderit,coniectura ſe aſſequi negat,ut qui antea uir fuerat, nunc ſit frater; idemq́ue ſperet, quę nunc ſoror eſt,aliquādo coniugem fore. Docet Lipſius fratres olim à puellis appellatos amatores ſuos, quibus dare conſueuerant: Sperare autem Lygdamum fore,vt Neęra amica ſecum legitimis nuptiis copularetur.Imò,inquit Statius in comment.in Catullū,fratris nomine poeta caſtum atque integrum amatorem ſignificat. Sed hanc illi ſententiam Lipſius eripuit ueram eſſe.Quamobrem in comm.in Tibullū Palinodiam canit,& fratrem idem ait hic valere,quod mœchum. Ego dicam primum de uiro. Spoponderat Lygdamo Neęra ſe illi uxorē futurā,ſed antequàm id fieret,mutata ſen

tentia, vt eſt varium & mutabile fœmina, ad alterum obſcurum & ignotũ appulerat animum. Lygdamus id cum reſciſſet, amore ardens mouit omnem lapidem, vt nuptias illas diſturbaret, puellęque animum adeò ſibi conciliaret, ut alium uirum deſineret uelle. Inter cetera ad eam flectendam miſit illi Kal. Martiis tertium hunc elegiarum libellum, ex quo hæc omnia hauſta ſunt. Vtitur autem in eo poeta uiri & con iugis nomine, ut refricet Neęræ memoriam ſponſionis nuptiarum, qua Lygdamo ſeſe obligarat, & uinculi, quod ſoluta fide ſolui non poterat. Hæc de uiro. Veniamus ad fratrem, de quo ſunt pauca dicenda. Si.n. caſta eſſe poteſt, quę habet cum aliquo ſtupri conſuetudinem, fateor Neęrę fratrem fuiſſe Lygdamum, ut matris Ammianum apud Martialem. Quod ſi hęc laus iis tantùm debetur, quę non peccant, nec faciunt amatoribus copiam ſui, ſanè obtinebo, uel Lipſio iudice, Neæræ, quam caſtam uocaret, non tribui à poeta mæchum, aut concubinum, ſed amatorem pudicum & integrũ, qui nihil obſcęnum ſpectaret, aut cuperet. Erit igitur, ut pau cis concludam horum Tibulli uerſuum hæc ſententia. Acci pies ab eo hoc munuſculum, Nęra, qui à te quondam lacta tus, & verbis adductus tuis ſperauit fore, vt coniugio, & amplexu tuo frueretur, atque ob eam cauſſam te amauit vt uir: nunc autem cum alterius eſſe uis, tuerique ut par eſt, pudorem tuum, non abiicit ille quidem coniugii ſpem, ſed eo te interea amore proſequitur, quo frater ſororem ſolet.

Ex Catone maiore plures loci emendati. *Caput XXIV.*

QVI appellunt animum ad veterum ſcriptorum libros emendandos, inque eo ſpectari cupiunt induſtriam ſuam, cùm aliis multis inſtructi eſſe debent egregiè, tum verò diligentia ſingulari, qua nullum ſibi elabi è manibus ſinant numerum annorum, in quo ad calculum reuocando ſemel atque iterum digitos nõ fatigarint. Cum enim pręcipuè in vniuerſa annorum ratione peccatum ſit à veteribus librariis, atque adeò nihil æquè corruperit diuturnitas temporis, ac ea, quę erat in veterum libris tradita de temporibus; facilè fiet, vt, ſi quis tantulum de induſtria remiſerit, integerrima cenſeantur, quę erunt corruptiſſima. Nemo eſt omnium veterum, in quo emendando plus olei ac ſtudii poſitum ſit, quàm in Cicerone. In eo igitur ſi quod huiuſmodi uitium deprehendero, non dubito, quin tàm inſigni exemplo criticorum omnium diligentiam exacuam. In omnibus ergò, quos hactenus viderim, impreſſis codicibus Cicero in libro de Senectute Catonem maiorem de Q. Fabio Maximo ita loquentem inducit. *Eum colere cępi non admodùm grandem natu, ſed tamen iam ætate prouectum: anno enim poſt, quàm primùm conſul fuerat, ego natus ſum.* Dico hunc locum, qui tot cẽſores pręteriit, eſſe corruptum. Si enim Cato anno poſt, quã primùm conſul Q. Fabius fuit, natus eſt: anno igitur ab V. C. DCXXI. Lepido & Mallcolo Coſſ. natus eſt. At illum ego anno Vrbis DXIX. ex hoc ipſo libello natum oſtendam Albino, & Maximo Coſſ. vt vel contra omnium impreſſorum codicum fidem legendum ſit; *Anno enim poſt primùm conſul fuerat, quàm ego natus ſum.* Principiò enim Cato de Liuio hæc dicit. *Vidi etiam ſenem Liuium, qui cùm ſex annis ante, quàm ego natus ſum, fabulam docuiſſet, Centhõe Tuditanoque Coſſ. vſque ad adoleſcen-*

tiam meam proceſſit ætate. Conſule faſtos, numera ſex annos, ſeptimum, quo natus eſt Cato, proximum ante Fabii conſulatũ inuenies. Deinde in eodem libello de Ennii morte hæc leguntur. *Anno undeuiceſimo poſt eius mortem hi conſules T. Flaminius, & M. Acilius facti ſunt. Ille autem Cæpione & Philippo iterum Coſſ. mortuus eſt, cum ego quinque & ſexaginta annos natus legem Voconiã magna voce, & bonis lateribus ſuaſiſſem.* At à Lepido & Malleolo Coſſ. ad eos, quos modo dixi, qui conſulatum geſſerunt anno Vrbis DLXXXIV. anni tantùm quatuor & ſexaginta numerantur. Poſtremò ibidem legimus. *Sed redeo ad me. Quartum annum ago, & octogeſimũ.* Si ergò Cato anno V. C. DCIII. quo T. Quinctius Flaminius, & M. Acilius Balbus Coſſ. fuerunt, annos quatuor & octoginta erat natus, certũ eſt, quod nos diximus natum anno ante Q. Fabii conſulatum, qui fuit vrbis. DXIX. Rurſus in eodem libello de Africano Maiore hæc leguntur. *Quam palmam vtinam dij immortales tibi, Scipio, reſeruent, ut aui tui reliquias perſequare, cuius à morte hic tertius & triceſimus eſt annus.* Hic quoq; legendum *quintus & triceſimus.* Quod quamquàm alii notarunt ante me, mihi tamen fuit repetendum, quia uideo à quibuſdam egregiam hanc, & neceſſariã emendationem in oram libri eſſe reiectam, perinde ac ſi verum eſſe vllo modo poſſet, aut Catonem fuiſſe eo tempore tàm prouectum ætate, quàm diximus; aut ab anno Vrbis DLXIIX. ad DCIII. tres eſſe tantùm ac triginta annos. Cũ hæc animaduertiſſem peruenit ad manus meas Ciceronis liber de ſenectute calamo in membranis exaràtus, in quo locus ille de anno, quo natus eſt Cato, ita erat ſcriptus ſine vlla litura, vt eum emendaui. Sic etiam habuiſſe memini duos manuſcriptos, quorum copiam fecerat mihi olim vir illuſtris, & ſupra quàm dici poteſt humanus atq; eruditus Ioannes Vincentius Pinellus magno litterarum incommodo nobis ereptus. His codicibus cum meo manuſcripto & altero impreſſo collatis magnum fructum cepi laboris mei. Quem fructum quia cum his omnibus, qui delectantur ſtudiis noſtris,

ſtris, eſſe communem volo, nõnulla ex iis quę obſeruaui, de eodem oleo, atque opera ſubiiciam.

Propoſitis quatuor cauſſis cur ſenectus miſera videatur, *Quarum*, inquit, *ſi placet cauſſarum quantum quæque valeat, quantũque iuſta ſit vnaquæque videamus*. Sic libri à Lambino & Gottofredo emendati. Cui autem non ſordeat hęc lectio prę illa, quam habebant tres illæ membranę? *Earum, ſi placet, cauſſarũ quanta, quàmq; iuſta ſit vnaquæq; uideamus*.

In parte libri ſecunda vbi de Neſtore ſermo eſt. *Tertiam enim iam ætatem hominum vixerat*, membranæ omnes; *uiuebat*. Optimè: ipſe enim apud Ouidium Metamor. xii. Neſtor ait *Nunc tertia uiuitur ætas*. Et ex Homero. μετὰ τριτάτοισιν ἄνασσεν, quartam autem ętatem non attigit.

Paullò poſt. *Vt enim infirmitas puerorum eſt, & ferocitas iuuenũ, & grauitas iam conſtantis ætatis; ſic ſenectutis maturitas naturale quiddam habet, quod ſuo tempore percipi debeat*. Negat Lambinus ſe vllis ĩ veteribus codicibus reperiſſe has voces (*enim, eſt, ſic*) quę tamen erant in tribus meis. Quare nihil muto.

Sic infrà in oratione Archytę Tarentini in voluptatem. *Hinc cum hoſtibus clandeſtina colloquia naſci dicebat*, verbum, *dicebat*, extare negant in ullis veteribus codicibus. At extabat in tribus meis, vt voces, *Philoſophi, vobis*, in duobus illis locis è quarta libri parte. *Equidem non uideo, cur quid ipſe ſentiam de morte non audeam dicere uobis*. Et in calce. *Non uereor, ne hunc errorem meum mortui philoſophi irrideant*. Quare de omnibus veteribus codicibus nihil eſt facilè pronuntiandum. Sed redeo ad inſtitutum.

In tertia libri parte hæc leguntur. *Quorſum hæc? vt intelligatis ſi voluptatem aſpernari ratione & ſcientia non poßumus, magnam habendam ſenectuti gratiam, qua efficeret, vt id non liberet, quod non oporteret*. Vitioſa loquutio eſt, & nemo non videt eſſe legẽdũ, *poſſemus*, vt membranæ habent.

Infrà de Gallo, quem vocant manuſcripti C. Gallum. *Quàm delectabatur cum defectiones ſolis & Lunæ multò nobis ante prædiceret?*

diceret? Manuſcripti mei. *Quàm delectabat eum defectiones ſolis & Lunæ multò ante prædicere?* Oriuntur ſępè magnæ lectionum varietates ex vna litterula, vt hic ex voce, *eum*, mutata in, *cum*.

Idem. *Dictatoris iuſſu magiſter equitum C. Seruilius Ahala Sp. Mælium regnum appetentem, & occupantem interemit*. Etiamne occupantem? at negare uidetur ipſe Cicero, vt alios mittã, Philippica ſecunda extrema. *Spem quidem enim regni conceperat, deque eo conſilia inierat; ſed ijs nondum ſatis maturis oppreſſus eſt.* Cum tribus igitur illis manuſcriptis lego. *Regnum appetentem occupatum interemit*. verè & appoſitè ad hiſtoriæ fidem.

In eadem parte. *Quem virum P. Craſſum, nuper Pontificem Maximum, quem poſtea M. Lepidum eodem Sacerdotio præditum vidimus?* Membranæ. *Quem uirum nuper P. Craſſum Pontificem Maximum,* Quod probo: nuper enim & poſteà ſibi inuicem reſpõdent. Sic ſuprà. *Nihil Sex. Aelius tale, nihil multis annis ante T. Coruncanius, nihil modò P. Craſſus.*

In quarta libri parte. *Quod niſi ita accideret, meliùs & prudentiùs uiuerentur.* m. ſſ. habebant. *Quod ni ita accideret.* Nec ſatis mirari poſſum uiros aſſiduè in Ciceronis lectione verſatos etiã ſine vlla veterum codicum ope hoc non uidiſſe; ſic enim Cicero loqui ſolet, cùm in hoc ipſo libro. *Quod quidem ni ita ſe haberet, vt animi immortales eſſent,* tùm etiam in aliis, vt in ſecundo de diuinatione. *Quod ni ita eſſet, quì potuiſſet aſſenſu omnium dicere Ennius,* & ſæpe aliàs.

Sic etiam in huius libri clauſula legendum. *Hæc habui, de ſenectute quæ dicerem,* vt manuſcripti habent, & concluditur liber de amicitia. Sed non omnes intelligunt, quantum inter hanc & illam verborum collocationem interſit. *Habui hæc, de ſenectute, quę dicerem.*

Vbi de Arganthonio ſermo eſt, & in impreſſis legitur. *Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnauit annos, centum & viginti vixit.* membranę meę omnium, quibus utebar, op-

timię habebant, *Gaditanus*. Quod ne dubitem in Cicerone reponere facit Valerius Max. lib. 8. cap. 14. & Plin. lib. ſeptimo cap. 48. Qui Arganthonium Gaditanum fuiſſe teſtantur. Alter ex Pincelli codicibus habebat, *grandis natu*, in quo videre eſt veræ lectionis veſtigia. Hæc hactenus. Reiiciemus reliqua in aliud tempus, vt tædium vitemus, quo affici lectores ſolent, cum huiuſmodi animaduerſiones toto, vt aiunt, ſacco effunduntur.

De menſe, & die, quo magiſtratum primi Conſules inierunt. Caput XXV.

CVM multa ſint in Romana antiquitate nondum ſatis illuſtrata, atque explicata, tum verò de anno, & die, quo primi Coſſ. Romę inierunt, ita eſt à multis hactenus diſputatum, vt res ab antiquis paullò obſcuriùs, quàm vellent poſteri, tradita maiorem adhuc deſiderare lucem videatur. Ac de anno quidem, vt arbitror, actum eſt. Semper exercebit hic locus doctorum ingenia. Priſcis illis Romanæ hiſtoriæ ſcriptoribus gratiæ, qui tantis illũ tenebris obduxere, vt nullam nobis earum diſcutiendarum ſpem reliquam fecerint. De anno igitur ſuum vnicuiq; vt dicitur: nec ego cuiquam, vt bonas horas cõſumat in illis conciliãdis, autor fuerim, & laborem ſuſcipiat irritum futurum. De die autem & menſe longè alio modo res habet, aut ego valdè fallor. Iniri enim ratio poteſt, qua veteres ſcriptores in concordiam redigantur, & omni liberentur mendacii ſuſpicione, in quam sũt vocati à doctiſſimis viris, qui in faſtos Romanos commentarios ſcripſerunt. Eam rationem à me excogitatam, imò hauſtam veriùs è veterum fontibus proponere in hoc capite inſtitui; vt ſi fortè doctis viris probabitur, ſtudioſi antiquitatis hac ſaltem in parte meo beneficio æſtuare deſinant. Afferam autem primo loco in medium inter ſe pugnan-

gnantes veterum ſententias, quæque contra eas dici ſolent: deinde vt veræ omnes ſint, aut eſſe poſſint, oſtendam. Plutarchus vnus quod ſciam è veteribus omnibus ſcriptoribus dié notauit, quo die primi conſules inierunt. Eum diem Kal. Ianuarias fuiſſe ſcribit problem: Romano.xix. Quicumque illi fuerunt, à quibus hoc proditum eſt. (Nam Plutarchus quidē non admodùm probari ſibi hanc ſententiam haud obſcurè præſefert) eos igitur errare vehementer putant uiri docti. Anno enim demùm ab V.C.DC. magiſtratum inire Coſſ. cœperunt Kal. Ianuariis. Alia igitur ratio, qua ad rei propoſitæ cognitionem perueniamus, ineunda. Eſt autem vna reliqua, vt ex die, quo imperium regibus eſt abrogatum, coniecturā faciamus de die, quo primi Coſſ. inierūt, Nam aut idem erit, vt velle videtur Dionyſ. Halicarn. aut certè illi proximus. Regisfugium ex Ouidio & vetere Kalendario incidit in mēſem Februarium. Quamquàm eſt inter autorem Kalendarii & Ouidium de die vno diſſenſio. Nam Ouidius Regisfugiū coniicit in a.d.vii.Kal.Mart. Vetus autem Kalend. in a.d.vi. id eſt in diem poſterum. Vt vt eſt, ne his quidem aſſentiūtur magni uiri. Niſi enim eos fallit Plutarchus in Poplicola, Brutus conſul in pugna cum Tarquiniis cecidit pridie Kal. Martias, eius ipſius anni quo inierat conſulatum, vt nemo non videt; aliòquin anno elapſo, & altero in eius locum creato Brutus in acie conſul non cecidiſſet. Quid autem veri minùs eſt ſimile, quam tantas res, quantæ ab eo in cōſulatu ſunt geſtæ, quinque diebus, aut ſummùm ſex geſtas dicere? Sed eſt in faſtis Ouidii alter locus, vbi de regis fuga mentio fit lib.v. extremo.

Quattuor inde notis locus eſt, quibus ordine lectis
Aut mos ſacrorum, aut fuga regis ineſt.

Hęc eſt pleriſque omnibus ſacra anchora, quę poteſt Macrobii etiam teſtimonio confirmari. Is enim libro primo Satur-

turnaliorum cap. xii. prodit nonnullos in ea fuiſſe ſententia; vt exiſtimarent Iunium menſem Iunii Bruti, qui primus Romę conſul fuit, vocabulo appellatum, quod hoc menſe, id eſt Kalendis Iuniis pulſo Tarquinio ſacrum Carnæ deę in Cælio monte voti reus fecerit. Sed hanc quoque ſententiam refellere leue, opinor, negotium eſt. Cum enim tradat Dionyſ. illi anno, quo reges exſilio ſunt multati, quatuor menſes defuiſſe, qui eiectos credunt menſe Maio extremo, aut Iunio ineunte, illi fatentur Septembrem, aut Octobrem primum per ea tempora exorientis anni menſem fuiſſe. Quod mihi videri ęquè nouum ſolet, atque illis primos Conſules iniiſſe illo ęuo Kal. Ianuariis. His accedit, quòd hę ipſæ notę. Q. R. C. F. de quibus ſcribit Ouidius, iterum leguntur in vetere Kalendario, cum tamen ſemel tantùm eiectos reges in exiliū conſtet. Poſtremò, ne diutius diſſimulem, fuga illa, qua de hic agitur, nihil ad Tarquinium facit, ſed ad Regem ſacrum ſiue ſacrificulum, qui bis quotannis peractis in Comitio ſacris quibuſdam, fuga ſe inde proripiebat. Quem morem uetuſtatis tenebris obrutū atque inuolutum primus reuocauit in lucem decus noſtri ęui, optimeque de litterarum ſtudioſis meritus Ioſephus Scaliger notis in Feſtum, quę legendę sūt. Ego hoc tantùm moneo notas illas longè ſecus interpretatum Varronem & Feſtum, atque Ouidium. Vt enim hic putat illis ſignificari, Quando Rex Comitio Fugit; ſic Varro, & Feſtus, Quando Rex Comitiauit Fas. In his verbis nulla eſt fugæ mentio: in ſuperioribus ſi qua eſt, ea nō ad Tarquinios, vt dixi, ſed ad Regem ſacrorum pertinet, de quo à nobis nō eſt ſermo inſtitutus. Hac igitur poſtrema omninò reiecta duæ ſunt reliquæ diſcrepantes ſententię, vna Ouidii, altera Plutarchi, vel, vt dicam veriùs, quorundam, quorum nomina, vt ſolet in eo libro, inuoluit ſilentio Plutarchus. Eas vt conciliemus, intelligendum eſt menſes in anno veteri non eodem fuiſſe, quō nunc ſunt, ordine collocatos, ſed ita vt Ianuarium anni caput ſtatim exciperet Martius, Februarius

autem reiectus in extremum locum quaſi agmen clauderet: idque manſiſſe vſque ad Decemuiros, qui primi eum, quem nunc in anno obtinet, locum Februario tribuerunt. Hoc docet Ouid. 2. Faſtorum his verſibus.

Sed tamen antiqui ne neſcius ordinis erres
Primus vt eſt Iani menſis, & ante fuit.
Qui ſequitur Ianum, veteris fuit vltimus anni
Tu quoque ſacrorum Termine finis eras.
Poſt modò dicuntur ſpatio diſtantia longo
Tempora bis quini continuaſſe uiri.

Sed vulgus, & eum ſequuti uiri quidam docti, vt duos mēſes additos à Numa anno Romuli, ſic eodem, quo nūc ſunt, ordine additos crediderunt. A qua opinione, vt aliena à vero monet Ouidius ut nobis caueamus: qui præterea, cū Terminal. a etiam ante Decemuiros menſe Februario ſcribit celebrata, docet hoc amplius; menſem ita eſſe tranſlatum in alium locum, vt unà cum eo ſacra etiam, & feſti dies, ſtatæq; cærimoniæ transferrētur, vt Lupercalia, vt Quinalia, ut Equiria, ipſumque adeò Regisfugium. Vnde fit ut Reges, qui, ut norunt omnes, ante creatos Decemuiros Romæ eſſe deſierunt, fuerint eiecti in exilium non. vi. Kalendas Martias, ut nunc eſt Februarius collocatus, ſed ſexto Kal. Ianuarias, ut ueteres, menſes digerebāt. Quæ res ut magnas non animaduerſa turbas dedit, ita eas notata conferet in tranquillum. Nam ut uerum ſit, quod tradit Plut. Brutum conſulem pridie Kal. Martias ab Arunte cæſum; nihil impedit, quin omnia geſſerit, quæcumque ei tribuuntur ab hiſtoricis, cum dies minimùm quatuor & triginta ſint interiecti inter initum conſulatum, & eadem. Quamquàm & Plutarchus ſequi famam uidetur, & oſtendit Macrobius fuiſſe, qui crederent Brutum uixiſſe diutiùs. Iam uerò quod obiicitur de Kalendis Ianuariis dilui facilè poteſt. Non enim eſt nouum, ut ſumma fiat

rotunda,

rotunda, & certum inſigneque res capiat initium, non modò paucorum dierum, ſed ne multorum quidem annorum rationem habere: nec quiſquam eſt in Romana hiſtoria tàm hoſpes, qui hoc ignoret: Et ego aliquando in Græca apud Diodorum triginta totos annos excurrere obſeruaui. Quid igitur mirum, quod .vi. Kal. Ianuarias eſt actum, id ipſis Kalẽdis, & primo anni vertentis die actum dici? Fateor tamen quos ita ſenſiſſe tradit Plutarchus, non omni ex parte rectè ſenſiſſe. Quod enim dixerunt iniſſe primos conſules Kal. Ianuariis more à ſcriptoribus omnibus vſurpato, quamquàm .viii. aut vi. Kal. inierunt, caret omni omninò reprehenſione. Quod autem ne ipſi quidem eum, quem notat Ouidius, menſium ordinem obſeruarunt, in eo aberrarunt à recta via, vt etiam in altero, quod eos clam fuit Ianuariũ iam inde à Numa primum fuiſſe anni menſem, vt nihil fuerit opus vera ſal ſis miſcere ad huius rei cauſſam quærendam. Quod autem ſcribit Macrobius, non ea infirmat, que à nobis ſunt dicta de mẽſe, & die, quibus reges in exſilium ſunt acti, ſed quod Plutarchus fama celebratum teſtatur, Brutum interemptum pridie Kalendas Martias. Non enim illorum Macrobii verborum ea eſt, quam plerique eſſe putant, ſententia: Iunium Brutum Kalendis ipſis Iuniis extorſiſſe regnum Tarquiniis, & re geſta ex ſententia Carnę Deæ votum perſoluiſſe: ſed hoc tantùm dicit, ſacra his Kalendis Carnæ facta ob pulſos Tarquinios. Ita vt Brutum, ſi hæc vera ſunt, ea die viuere & valere fuerit neceſſe, pellere etiam Tarquinios non fuerit. Et affert Macrobius cauſſam ſanè bonam, quamobrem Brutus in eam demum diem voti ſe ſponſione obligarit: Carnam enim uitalibus humanis præeſſe credebant, petebantque ab ea, vt iecinora & corda, quæque ſunt intrinſecùs viſcera, ſalua conſeruaret. Et quia cordis beneficio, cuius diſſimulatione Brutus habebatur, idoneus emendationi publici ſtatus extitit, hanc deam, quæ uitalibus præeſt, templo ſacrauit. Sed ne ea quidem cauſſa, quæ nunc mihi venit in mentem,

abhorret

abhorret à vero, Suſpicari enim licet, Brutum Kalendis Iuniis ſacra feciſſe, vt quo menſe per vim ac ſcelus regnum Superbus inuaſiſſet, eodem gratiæ Diis agerentur ob Tyrannum pulſum, & vindicatam ſua opera patriam in libertatē. Regnum autem à Superbo occupatum menſe Iunio teſtatur Ouid. lib. vi. Faſt. & innuit Dionyſ. lib. ii. cum ſcribit, illi anno, quo ſunt reges pulſi, quatuor circiter menſes defuiſſe. Scio ab aliis hos menſes anno Olympico tribui, ſed eorum ſententiam eſſe alienam à vero in commentario de temporibus Athenienſium fuſiùs oſtendam. Nunc reliquum eſſet, ut cum nodum ſoluerem, quem nexuit Ouidius de die uno à vetere Kalendario diſſentiens: ſed fateor ingenuè non habere me, qui eos ſcriptores redigam in concordiam.

Horatij loci duo illuſtrati, vnus Appuleij emendatus.
Caput XXVI.

NEREVS apud Horatium libro primo in ode, qua Troiç excidium vaticinatur, his Parim alloquitur verſibus.

Ne quidquam Veneris præſidio ferox
Pectes cæſariem, grataq; fœminis
Imbelli cithara carmina diuides.

Neminē eſſe puto, qui ignoret hęc ab Homero eſſe, apud quem Iliadis. 3. Hector illum ipſum Parim Menelai congreſſum fugientem acerbè increpat.

Οὐκ ἄν τι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρα ἀφροδίτης,
ἥ τε κόμη, τό, τε εἶδος. ------

Sed præterea operæ pretium eſt diligenter attendere, quàm acutè Horatius uiderit, quid in Homero deſiderari poſ-

poſſet. Si enim comam alere crimen eſt, aut iure alicui uitio verti poteſt, quid eſſe dicemus, quod Grecos ſuos Homerus tàm frequenter καρηκομόωντας appellat? aut quam eos excuſandi rationem inibimus, ſi Paris iure accuſatur? Vnum hoc patet effugium, ut dicamus uitio dari nimiam in comenda cęſarie diligentiam, & ſtudium, quòd prætermiſſum ab Homero expreſſit Horatius, dum Parim accuſat, quod permiſſis rebus omnibus Veneri, omni cura ſoluto ſummum eſſet negotium pectere cæſariem. Huic additur alterum crimen, quòd cithara imbelli grata fœminis carmina diuideret. Nō enim ut apud Homerū Achilles, egregia canebat illuſtrium uirorum facinora; ſed amores & nugas, quę mollem, corruptum, & ab omni re ſeria abhorrentem animum arguerent. Quæ fuit cauſſa veteribus eam citharam fingendi Parim à Venere dono accepiſſe, vt eſt apud Photium in excerptis è lib. 7. nouarum Ptolemęi hiſtoriarum (nam quod ſex tātùm libros ſcripſiſſe idem tradit, Typographorum erratum eſt) Eam citharam diligenter aſſeruatam Ilienſes Magno Alexādro oſtendere cum vellent, ille, vt ſcribit Plutarchus, ἐλάχιστα φροντίζειν ἐκείνης ἔφη, τὴν δὲ ἀχιλλέως ζητεῖν, ᾗ τὰ κλέα καὶ τὰς πράξεις ὕμνει τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἐκεῖνος. Quid ſit autem apud Horatium carmina cithara diuidere ſunt fortaſſe, qui neſciunt; non eſt tamen difficile oſtendere. Veteres enim nō carmina ſolùm ſociabant neruis, ideſt voce ſimul, & cithara canebant; ſed erat, cum aſſa voce pronuntiatis verſibus, proximè aſſis fidibus canerent, atque eo diuortio diuiderēt verſus, & quaſi ſecarent in plures partes, id quod hodiéque in frequenti uſu eſt, & fuiſſe antiquitùs Appuleius oſtenderet, ni corruptiſſimus eſſet locus Floridorum libro. 2. ubi de Bathylli ſtatua ſermo eſt citharœdico ſtatu. *Læua*, inquit, *diſtantibus digitis neruos molitur, dextra pſallentis geſtu ſuo ſuſcitabulam cithara admonet, ceu parata percutere. Cum vox in cantico interquieuit; Interim canticum uidetur ore tereti, ſemibiantibus in conatu labellis eliquare.* De hoc loco ita ſentio legendum, *pſallentis geſtu ſuſcita-*

bulum

bulum citharę admouet, ceu parata percutere, cum vox in cantico inter quierit. Interim canticum uidetur, & quæ ſequuntur. *Suſcitabulum,* plectrum eſt, *canticum* verſus: dicit aſſa uoce pronūtiatos, qui tunc diuiduntur, cum uoce interquieſcente cithara percutitur. Vix eſt, ut alius reperiatur locus, quo uerſuum Horatii ſententia magis illuſtretur.

Dubitatum de eo, quod tradit Lipſius, tres Apicios gulones fuiſſe.
Caput XXVII.

VENIENT Apicii quoq; in Varias meas, qui tàm feliciter gulę indulſere, ut ob eam vnam cauſſam eorum nomen poſteritati ſit propagatum, cum innumera fortium, & prę ſtantium uirorum in obſcuro ſint. Sed pręſtat inter homines eſſe de nobis ſilentium, quàm eorum ſermonibus abiici nos infra homines, atque ea tantùm gratia nominari, vt ſimus diutiùs infames. Hos gulones aut uentres magni uiri tres fuiſſe docent, neque ego repugno, cùpio tantùm mihi eximi ſcrupulum, qui me malè habet, nec firmiter illis patitur aſſentiri. Athenęus enim lib. primo duos fuiſſe notat Apicios, alterum Tiberio, alterum Traiano imperante: Libro autem quarto ſcribit in hanc ſententiam. παρὰ δὲ Ῥωμαίοις μνημονεύεται, ὥς φησι Ποσειδώνιος ἐν τῇ ἐνάτῃ καὶ τεσσαρακοστῇ τῶν ἱστοριῶν, ἀπικιόν τινα ἐπὶ ἀσωτίᾳ πάντας ἀνθρώπους ὑπερηκοντικέναι. οὗτος δ᾽ ἐστιν ἀπίκιος ὁ καὶ τῆς φυγῆς αἴτιος γενόμενος Ῥουτιλίῳ τῷ τὴν Ῥωμαϊκὴν ἱστορίαν ἐκδεδωκότι τῇ ἑλλήνων φωνῇ. περὶ δὲ ἀπικίου τοῦ καὶ αὐτοῦ ἐπὶ ἀσωτίᾳ διαβοήτου ἐν τοῖς πρώτοις εἰρήκαμεν. Si igitur Apicius is, de quo hic ſcribit Poſidonius, alius eſt ab illis duob. quorùm primo libro mentio eſt facta; fallitur proculdubio Athenæus, nec ſibi conſtat, cum ſcribit de vno Apicio eſſe actum in ſuperioribus libris. Sin autem is, quo de hic ſermo habe-

habetur,alter eſt illorum,vt volunt interpretes,nemo nõ videt,quidſequatur.His accedit,quod eodem encomio Poſidonius Apicium hunc ſuum, quo Plinius eum, qui ſub Tiberio vixit,proſequitur.Ille enim Apicium ait omnes homines luxuria ſuperaſſe;hic autem lib.x.cap.48.eum vocat nepotũ omnium altiſſimum gurgitem.Poſtremò quantum intelligere ex veteribus ſcriptoribus poſſum, P. Rutilius Rufus, qui conſul fuit anno V.C.DCXLVIII. cum Q.Mutii Proconſulis legatus Aſiam à publicanorum iniuriis defendiſſet,equeſtri ordini inuiſus,penes quem iudicia erant, repetundarum dãnatus in exſilium miſſus eſt. Autores Valerius Maximus, Aſconius, alii; nec quemquam inuenio pręter Athenæum, qui huiuſce rei culpam cõferat in Apicium.Vix in re tàm obſcura audeo proferre in medium coniecturam meam, quam video eſſe admodùm infirmam;ſed proferam tamen timidè, vt ſoleo:paratus illi aqua & igni interdicere, ſi minùs doctis viris placuerit. Narrat Oroſius lib.7.cap.3.ex Suetonio in Auguſto cap.42. anno eius imperii. 48. tàm diram famem Romanos preſſiſſe,vt Cæſar laniſtarum familias, omneſque peregrinos,ſeruorum quoque maximas copias exceptis medicis & pręceptoribus trudi vrbe pręceperit.Idem à Dione memorię proditum eſt lib.lv. in actis annis DCCLIX. qui addit plebem præter tributa & incendia fame quoque vexatam multa palam de rebus nouis loquutam, multos noctu libellos propoſuiſſe,quorum omnium autor P. Rufus ferebatur,cum alii,qui ſtudebant rebus nouis,eius nomine abuterentur: ne autem malum ſerperet latiùs, præmia indicibus propoſita,& quoſdam delatos. Suſpicor ego hanc annonę caritatem Apicium præcipuè iugulaſſe; gulam enim petebat,cui ſe ille addixerat. Eum igitur ſi quis alius clam libellos propoſuiſſe.Et quia fama erat P. Rufi opera id fieri, eum pulſum in exſilium alienę temeritatis pęnas dediſſe,atq;hoc narrare Athenæum. Video quid poſſit opponi, quamquàm hic Rufus erat, non continuo aut Rutilium, aut hiſtoricum

fuiſſe:non conſtare de eius pœna,aut de crimine Apicii. Fateor. Sed ſi hæc omnia mihi eſſent explorata, non ego mediusfidius hanc eſſe dicerem infirmam coniecturam. M. Antonius Muretus in notis ad Taciti annal. lib. 4. putat, tertii cuiuſdam Apicii eſſe eos libros,qui extant de re coquinaria: quod mihi nec affirmare,nec refellere in animo eſt. Auctariū huius capitis quęſtio erit de nomine huius Lurconis,qui Apicius cognomento eſt dictus. Dio lib. lvii. qui ſub Tiberio vixit,eum M.Gabium vocat. Scholia autem vetera in Satyrā quintam Iuuenalis Apicium quendam Gabbam memorāt, qui ſub Tiberio Scurra nobilis fuerit. Quamquàm in quibuſdam Iuuenalis codicibus Galba eſt, non Gabba in eius Satyrę verſu quarto.

--------*Nec vilis Galba tuliſſet.*

De corrupto Ciceronis loco in oratione pro Seſtio ſententia.

Caput XXVIII.

QVAE venia dari medicis ſolet, cum ægrum à reliquis & à ſe deſperatum curandum ſuſcipiunt,ſi quid illi humanitus accidat, eam mihi in pręſentia dari poſtulo ad corruptiſſimū & propè depoſitum Ciceronis locum in oratione pro Seſtio manus admouenti;vt ſi eum ſanitati minùs reſtituero,ea res mihi fraudi ne ſit. In ea, quam dixi,oratione ſummus orator Gellium hominem impuriſſimum vexans omnibus contumeliis, hoc illi obiicit inter cetera,quod deuorato demum patrimonio ad litterarum ſtudia animum appuliſſet,aut ſaltem appuliſſe ſimularet,nec tamen in re ad philoſophorum regulam tenui poſſet ventri imperare,ſed anagnoſtas,& libellos pro vino ſæpe oppigneraret. *Poſtquàm,*inquit,*rem paternam ab idiotarum diuitijs ad Philoſo-*

phorum

phorum regulam perduxit, Græculum ſe atque otioſum putari uoluit. ſtudio litterarum ſe dedit. Nihil ſanè à te iuuabant; anagnoſtæ; libelli etiam pro uino ſæpe oppignerabantur, manebat inſaturabile abdomen, copię deficiebant. In illis verbis, *nihil ſanè à te iuuabant*, hæſerunt omnes docti; & cùm eſſe corrupta conſtaret emendare conati ſunt. Quidam, *Attæ iuuabant*, repoſuerunt; alii *à re iuuabatur*, Vel *te iuuabant*, alii alia, quę aſcribere oĩa nihil eſt opus. Attam volunt Epigrammatum ſcriptorem fuiſſe. Quid autem, vt alia prętertam, Epigrammatum ſcriptori cum Gellio, qui ſe philoſophum videri volebat? Si ſeruus fuit, cur non oppigneratus, vt anagnoſtę? cur domino epigrammata ſcripſit, non libros de philoſophia? Voluit ſcilicet eius inopiam leuare ſcribendo. Eſto. Mihi nihilominus placet, vt fit, coniectura mea, qua minimùm recedo à veteris lectionis veſtigijs, & hunc Attam, ſi ſeruus eſt, verſum littera vna mutata manumitto. Scribo igitur. *Nihil attenuabat*, aut *nihil ſanè attenuabat*, vt hoc dicat Cicero. Nolite putare gurgitem hunc patrimonii repentè factum philoſophum, quidquam de ſumptibus remiſiſſe: imò cum ipſi luxus & libido nihil reliqui, præter anagnoſtas, & libellos feciſſet, hi ipſi pro uino ſæpe oppignerabantur, nec cenſu in ventrem demiſſo expleri abdomen poterat. Tenues ſumptus latinè dici nemo eſt, qui neſciat. Attenuandi verbo vtitur Horatius & alii. De huius igitur loci emendatione ita ſentio.

Lis de Scaptenſula inter Lambinum, & Giſanium dirempta.
Caput XXIX.

VERSVS Lucretii eſt è libro. vi.

Quales expiret Scaptenſula ſubter odores.

in eo Lambinus putat legendum *Scapteſula*, Stephanum ſequutus, qui eundem locum σκαπτησύλην nominat. Giſanius contrà à *Scaptenſula* diuelli non poteſt; Primùm quia ita habent veteres omnes Lucretii codices, & prætereà Feſtus, qui in hac uoce verſum Lucretianum adducit in mediũ. Deinde quia Stephanus Scapteſulam ſuam in Thracia collocat, Feſtus autem Scaptẽſulã in Macedonia. *Scaptenſula*, inquit, *locus, vbi argentum effoditur in Macedonia.* Sed mihi ſententiam vtriuſque accuratè perpendenti cùm Latinus, tùm Græcus ſcriptor vnum idemq; opidum ſignificare uidetur. Opidum inquam; neque enim mihi dubium eſt, quin Scaptenſulam dixerit Lucretius pro iis metallis, quę erant ad Scaptenſulam. Quod autem ad regionem, aut prouinciam ſpectat, in qua collocatur, facilè, mea quidem ſententia, poſſunt inter ſe conciliari. Cum enim Philippus, & Alexander Macedoniæ fines vltra Neſſum amnem non produxerint, vt eſt in Strabonis Epitome libri ſeptimi, Gręci quidquid erat trans Neſſum ad Orientem, Thraciam appellarunt, in qua regione fuiſſe videtur Scaptẽſula. Romani autem Macedoniam ſubactam magis adhuc ampliarunt, vt Liuius teſtatur, qui cum à L. Paullo in quatuor regiones diuiſam fuiſſe prodat, vnam ait, eamq; primam fuiſſe, quod agri inter Strymonem, & Neſſum amnem eſſet: acceſſiſſe huic parti trans Neſſum ad Orientem verſum, quà Perſeus tenuiſſet, uicos, caſtella, opida, præter Aenum, & Maronem, & Abdera. In iis autem opidis erat etiam Scaptẽ

ſula: vt mirum non ſit, ſi qua eſſe uidetur inter latinos & Gręcos ſcriptores controuerſia. Non modò autem Stephanus, ſed & Marcellinus & Plutarchus, ille in Thucydidis, hic in Cimonis vita in Thracia collocant σκαπτὴν ὕλην. Ita.n. vterque appellat nomine diuiſo, vt Pauſanias μεγάλην πόλιν, quã Strabo & alii μεγαλόπολιν. Addit Marcellinus eã fuiſſe vxoris Thucydidis patriam, quę metalla poſſederit. Ex quib. omnibus intelligere eſt unum idem fuiſſe opidum Scaptenſulã, Scapteſulam, σκαπτησύλην, & σκαπτὴν ὕλην. N. autem illud, quod expungit Lambinus è nominę Latino, ſi Græcum ſpectemus, dubio procul eſt ſuperuacaneum: ſin autem quàm multa in Græcis nominibus latinè vertendis licere ſibi noſtri voluerint, perpendamus; nemo erit, qui vna litterula Gręco nomine ab eis interiecta nihil noui accidiſſe non animaduertat. Ferri igitur poteſt vtrumque; ſed tamen vt Scaptenſulam præferam, facit manuſcriptorum Feſti, & Lucretii librorum conſenſus, quem Criticis omnibus magni ſemper faciendum cenſeo. Sed penè reliqui in legentium animis ſcrupulum, quamquàm exilem, tamen eximendum. Plutarchus enim prodere videtur fuiſſe ad Scaptenſulam auri metalla, Feſtus autem argenti. Sed fortaſſe Feſti ęuo illa deſita erant, & exhauſta, hęc autem ſola reliqua.

Ap-

Appuleij locus vnus, alter Claudiani ex ANTONII QVAERENGI ſermonibus emendatus.
Caput XXX.

ANTONII QVAERENGI, quem miſſum honeſta miſſione ſummus Pontifex vt ſpectatę virtutis veteranum denuò euocauit: eius igitur eximiam quandam excellentemque doctrinam cum incredibili humanitate coniunctam memoria cum recolo, facere non poſſum, quin vnà cupiam reſpondere uirtuti eius fortunam, & feram iniquo animo iacturam, quam illo amiſſo grauem patria & ſtudioſi omnes fecerunt. Erat enim Quærengi domus templum quoddam eruditorum celebre ac frequens, ipſe quaſi oraculum omnibus reſpondens, non ut ille Λοξίας per ambages, ſed clarè & ſine vlla hęſitatione, vt de quibus conſuleretur, ea videri poſſet recèns meditatus. Erat autem id eò magis mirum, quòd non in arte una aut altera, ſed in omnibus, quę ſunt libero homine dignæ, hoc præſtabat. Ac de ceteris quidem fortaſſe erit grauius, quamquàm non uerius, eorum teſtimonium, qui eas profitẽtur. Mihi verò de iis, ad quas cum mea me natura duxerit, ita hæreo, vt ne expertis quidem aliarum artium illecebris diuelli poſſim, atque abſtrahi, licet ſanctè affirmare, tantum eſse eum repertum, quantum de facie norim adhuc neminem. Quare ad eum ſæpe ventitabam, & duce utebar ad illud faſtigium ſtudiorum meorum, ad quod omni ope niti non deſino. Memini cum ad eum ueniſſem ſalutatum, deque mea de Appuleii Floridis ſententia ſermo fortè incidiſſet, interrogari me ab eo his verbis. Ecquid ſcis, Contarene, Platonis ſectatorem Appuleium fuiſſe? Obſecro, inquam, eſtne hoc tàm obſcurum, ut ex eo quęrendum putes, qui

eius

eius libros legerit? Hoc quoque igitur, inquit, fatebere, tritum ab eo Platonem, ac peruolutatum. Verò inquam. Quid eſt igitur quod cum Plato in Protagora Hippiam Sophiſtã Elæum fuiſse tradat, Appuleius Floridorum libro ſecundo ſub initium patriam eius ait ignorari? Hic cum hęrerem, breui mora interiecta, Tenes, inquit, opinor, ęius verba. *Et Hippias è numero Sophiſtarum eſt, artium multitudine prior omnibus, eloquentia nulli ſecundus. Aetas illi cum Socrate: patria uel genus ignoratur.* Ipſa, inquam, ſunt, & quidem non modò in impreſſis, ſed in manu etiam ſcriptis codicibus concepta ad eundem modum. Vide igitur, inquit, ne ſint omnes corrupti, & illa quoque ſublata loquendi inſolentia, *patria uel genus*, ſit legendũ. *Patria Elis: genus ignoratur.* Viſus eſt ipſe rem acu tangere, emẽdatio autem indigna, quæ apud me eſſet in arcanis. Quambrem ſtatui cum Appuleii ſtudioſis eam communicare, & bona fide, vt ſolitus ſum, autori, quamquàm non exigenti, acceptam ferre. Ab eodem alterum in Claudiani Panegyrico de .iv. Honorii Auguſti conſulatu reſtitutum locum vt operis Colophonem libet apponere. Eius emendatione ita ſum imbutus. Priuati ciuis, & imperatoris longè alia ratio eſt. Ille enim quæ agit, quæ cogitat, quę diſcit, ſi quando refert ad priuatum commodum, nulli eſt culpæ affinis: hic autem peccet in populum, ni ſemper, vt metam, publicam vtilitatem habeat propoſitã. Annui. Iure igitur Claudianus poeta ſanè bonus, & grandis in primis Theodoſiũ, cum monitis formaret Honorium filium, cui mundi habenas erat traditurus, inducit ſuadentem, vt quod ſibi alii diſcebant, id ipſe orbi diſceret illis verbis.

Diſc e orbi, quod quiſque ſibi.--

Hic ille finem dicendi cum feciſſet, licetne, inquam, rogare, quò tendas? Ille renidens, non licet. Iam enim quò inſtitueram, perueni. Ain verò? at ego non aſſequor; Et tamen

ſuſpica-

ſuſpicabar non de nihilo hunc eſſe ſuſceptum ſermonem. Volui, inquit, percipi abs te huius hemiſtichii ſententiã, corruptela adhuc latente in omnibus codicibus obſcuratam: illi enim ita habent.

Diſce orbis, quod quiſque ſibi. --

Quorum verborum ſenſum nullum eſſe tute uides. Sic mihi uir ille omni laude digniſſimus veram & germanam veteres ſcriptores corrigendi rationem monſtrabat.

GRAE-

GRAECORVM VERBORVM INTERPRETATIO.

TYPOGRAPHVS LECTORI.

NE quis eſſet, qui ab his Varijs legendis ideò abſterreretur, quòd nullam videret eſſe appoſitam Græcis verbis interpretationem, dedi operam, vt à uiro docto Latinè uerterentur, cum Autori alijs curis diſtricto huius laboris ſuſcipiendi otium non fuiſſet. Hanc etiam partem lector boni conſule.

pag. 5.

Καὶ τάδε, Atque hęc in Italia gerebantur ſociali bello, quod hactenus exarſit, quoad acceſſit Italia vniuerſa ad Romanam rempublicam, Lucanis & Samnitibus tunc exceptis. Nam poſtea hi quoque, opinor, ſunt voti compotes facti. Diſtribuebantur autem in tribus, vt reliqui iam ciuitatem adepti.

pag. 7.

δύο δ' ἔτη. Manſerunt in belli ſocietate biennium, uſque ad partam eam, ob quam bellum gerebant, communionem

pag. 8.

Καὶ οἱ μὲν. At Cinnani miſceri ſe omnibus tribubus clamore flagitabant.

pag. 9.

ὑπηγάγετο δὲ. P. Sulpicium tribunũ pl. perpulerat multa promittendo, ad operam ſibi in hac re præſtandum, nouiſque Italicis ciuibus, quorum erat in ferendo ſuffragio cõditio deterior, ſpem dabat, ſe in omnes tribus eos diſtributurum.

pag. 11.

τοῖς δὲ ἄλλοις. reliquis libertis ſerò, & multò poſt Appius popularis ferendi ſuffragii ius dedit

ibid.

ἴσιν. Iſim ſimul, & iuſtitiam.

pag. 13.

αὐγουστεῖον. Auguſtęum dictum eſt, quia Idibus Octobris regionum pręfecti & Sebaſtophori choreas in Auguſtęo ducebant, vt in taberna, in Tiberii honorem.

pag. 25.

εἶπεν οὖν. Dixit igitur Iuppiter. Ego, inquit, huic rei finem imponam.

pag. 27.

Ἐν Σάϊ γοῦν. Quamobrẽ in Saó in Mineruæ templi veſtibulo ſculptus erat infans, ſenex, tum accipiter, deinceps piſcis, poſtremò equus Fluuialis. Significabat autem Symbolicè, O naſcentes & intereuntes δειογέρον: Accipitre autem deum ſignificant; piſce odium ob mare, vt dictum eſt; hippopotamo autem impudentiam.

pag. 28.

Καὶ μὴν. Quin etiam in Aegypti Dioſpoli in templo, quod atrium appellatur, expreſſus erat infans ortus nota, interitus autem ſenex, Dei rurſus accipiter, vt piſcis odii, & altera ſignificandi vl Crocodilus impudentię. Videtur igitur totum hoc Symbolum coniunctum hoc ſignificare. O nati, & intereuntes deus odit impudentiam.

ibid.

ἐδήλου δὲ. Significabat autem allegoricè. O nati & intereuntes

reuntes deus odit impudentiam. Nam infans quidem ortus eſt nota, interitus autem ſenex, accipitre autem &c.

pag. 29.

ὄυκ. Non hominis, ſed bruti alicuius forma eſſe.

pag. 30.

μετὰ ταῦτα. Poſt hęc. Sylla audito Flaccum ab aduerſa factione conſulem creatum cum copijs Ionium tranſmittere, verbis quidem aduerſus Mithridatem ſed reapſe aduerſus ſeipſum, vt obuiam iturus in Theſſaliam magnis itineribus contendit.

ibid.

συνεπέμφθη. miſſus eſt Fimbria quæſtor cũ Valerio Flacco conſule, cui erat mandatum bellum Mithridaticum.

ibid.

κατασιασάντας. Conſule per ſeditionem in Bithynia interfecto, ipſe dux eſt creatus.

pag. 37.

De Cottabo vtentibus quærebatur, quem ratus quidam ex præſentibus medicis eorum eſſe, qui ad ſtomachum purgandum vino ſe ingurgitantes vomunt, id eſſe ab antiquis traditum negauit, neque ſcire ſe veterũ quempiam hac purgãdi ratione vſum eſſe. Quamobrem Eraſiſtratum Iulietem in opere de vniuerſalibus medicinę pręceptis eos reprehendere, qui hęc faciant: oſtendens eo conatu lædi oculos, & aluum cohiberi.

pag. 40.

τοῦ κύκλου. Vrbis ambitus cuſtodiis firmatus trium, & quadraginta erat ſtadiorum. Sine vlla autem cuſtodia pars inter longum murum, & Phalerium ſita.

pag. 41.

τειχῶν. murorum.

pag. 42.

τὰ τοῦ πω. pomerii fines.

ἀπὸ τῶν οἰ. ab auibus.

pag.47.

τότι. tunc mœnibus cincta Roma eſt, quę erat antea ſine muris.

pag. 58.

μετὰ τὰς σπονδάς. poſt inducias & fœdera inter Lacedęmonios & Athenienſes facta Archonte Alcęo Athenis, qui ea rata habuerant, iis pax erat.

ibid.

Καὶ ἐπί. Sex annos, & menſes decem à regione hoſtiliter inuadenda vtrinque temperatum eſt.

pag. 59.

Καὶ τό. Tota hac ęſtate inter Athenienſes & Peloponneſios commercium fuit.

ibid.

τὸ μὲν. Hac æſtate otium fuit, & vltro citroque commeatum eſt.

ibid.

σπονδάς. Fœdus in annos centum fecerunt Athenienſes, Argiui, & Elæi.

ibid.

ὀλύμπια. Olympici ludi hac æſtate ſunt facti, quibus Androſthenes Arcas pancratio primùm uicit.

pag. 60.

λακεδαιμόνιοι. Ineunte uere inſequentis æſtatis annuas inducias Lacedæmonii & Athenienſes pepigerunt.

ibid.

ὡμολόγησαν. Approbarunt in concione annuas inducias, earumque initium hunc quartumdecimum Elaphebelionis diem.

pag. 63.

ἁμαρτήματα. peccata.

pag. 67.

Βρουμάλια. Brumalia hæc commentus eſt Romulus, cum vnà cum Remo fratre natus illegitimo thoro, fuiſſet expoſitus

tus, & à muliere educatus. Erat autem Romanis probro veſci alienis: & conuiuæ ſinguli cibum & potum ferebant ſuum, ne aliena vorare dicerentur. Quamobrem Romulus excogitauit Brumalia, cum diceret hiemeſaltem, cùm vacui eſſent à bello, alendum eſſe regi Senatum ſuum. Omnes igitur ad vnum vocauit, & Senatores vocare milites iuſſit.

ibid.

καὶ τοῦτο. Hoc ille commentus eſt, vt ſua ſe liberaret contumelia: & prandium vocauit Brumalium, quo in nomine alienis veſcendi ſignificatio eſt.

pag. 69.

φεβρουάριος Februarius. Hic menſis conſulis cuiuſdam vocabulo appellatur genere Galli. Camillo enim de Tyrannis triumphante tactus inuidia Februarius clamabat è roſtris, non fuiſſe Camillum autorem victoriæ, ſed Romanorum fortunam. Quin etiam litteras comminiſcebatur, & falſos in eum teſtes producebat, vt qui de tyrannide conſilia coqueret. Ita populo concitato eum vrbe expulit. Sed ut rediit Roma capta, & Brennum deleuit cum ſuis, cauſſa in iudiciũ deducta omnium autorem fuiſſe Februarium oſtendit. Quã obrem detracta veſte iuncea ſtorea amictum à viatorib. tribuniciis, qui dicũtur vernaculi, neruis cæſum vrbe expulit, & cognominem ipſi menſem præ aliis mutilauit.

pag. 73.

τοῦ βουλευτηρίου. In curiam, & publicas tabulas, & tempus, & conciones mentitur.

ibid.

ἡμῖν. pax igitur Elaphebolionis xix. die facta eſt.

ibid.

τὸ ἱερόν. Sacrum montem cepit Philippus xxv. die Elaphebolionis, cuius menſis iv. & xx. legatorum vnus Demoſthenes præſes erat. Non modò igitur reliquos menſis huius dies domi conſumpſimus; verum etiam Munychione dedimus nos in viam. Huius rei teſtem vobis producam Senatũ,

cuius

cuius decretum extat, quo ire ad iuſiurandum exigendum legati iubentur.

S, C, Tempus.

Auditis Munychionis die tertio factum eſſe?

pag. 74.

Ἥκομεν. Functi legatione, qua erat Philippus iureiurãdo obſtringendus, huc peruenimus die xiii. menſis Scirophorionis.

Ibid.

ἡ δὲ. Concio autem, qua hi mentiendo, voſque fallendo rempublicam peſſundederunt, xvi. Scirophorionis habita eſt.

ibid.

τῇ τετράδι. Die xxvii. vobis in Piræeo congregatis venit Dercyllus Chalcide, vobiſque nũtiauit rerum ſummam Thebanis eſſe à Philippo commiſſam. & numeratis diebus quintum eſſe illum à pactis induciis reperiebat.

ibid.

ἐπειδὴ Cum autem quinto aut ſexto poſt die periiſsent Phocenſes, & Dercyllus Chalcide rediens uobis nũciaſſet concionem in Piræeo habentibus Phocenſes periiſſe; vos autem, Athenienſes, perculſi decreuiſſetis vt liberi & vxores ex agris deportarentur, Piræeus muro cingeretur, Herculi in vrbe fieret: cum res hoc loco eſſent, tanta perturbatio, tantus tumultus vrbem circumſteriſſet; tum demum hic vehemens, & ſapiens, & vocalis neque Senatus, neque populi decreto legationem ad eum ſuſcepit, à quo hęc erant perpetrata.

pag. 75.

ἀποδημήσαμεν. Tres totos menſes ad (exigendum) iuſiurandum patria abfuimus.

ibid.

οἱ χρηστοί. Hi boni legati in Macedonia tres totos menſes, quoad rediit ex Thracia Philippus, otiosè ſederunt.

ibid.

ibid.

τῆς εἰρήνης. Pace iam facta, & Cherroneſo ſalua quatuor otos menſes inſequentes incolumes Phocenſes fuerunt.

ibid.

ἐστιν. Eſt locus hic Pamphili & Callippi ars vniuerſa.

ibid.

ὁ τόπος. hic locus ars Callippi eſt.

ibid.

ὅλη τέχνη ars vniuerſa.

pag. 77.

Καὶ μετὰ. Poſtidea quoties audito Philippi copias & mercenarios ad fretum eſſe, aut ad Megara tumultuati ſitis, noſtis omnes.

pag. 78.

ἀλλ' οὐκ ἦν. Sed tunc, opinor, non poterat, id quod nunc facit, habito è vetuſtis temporibus, & decretorum aceruo eorum delectu, quę neque prouidiſſet quiſquam, neq; eſſe hodie recitanda putaſſet, calumniari. & perturbato ordine temporum, & veras rerum geſtarum cauſſas falſis mutando, videri aliquid dicere.

pag. 80.

περὶ τὰ οἰκεῖα. Cum in priuatis negotiis & aduerſus ciues eſſet quàm iuſtiſſimus, in publicis multa feciſſe, vt patrię occaſiones poſtulabant. Quippe cum illi frequenter iniuſtitia opus eſſet.

ibid.

οὐ δίκαιον. Iniquum eſt, fateor, verum tamen vtile.

ibid.

μιμούμενος. Lacedæmoniorum proceres imitatus, qui ſimpliciter honeſtum, & iuſtum putabant vnum patriæ commodum.

pag. 81.

τὸ δίκαιον. Qui iuſtum magnificè emolumenti cauſſa extollebat, vtebaturque vtili perinde atque honeſto.

pag. 82.

pag. 81.

καὶ διά. Quamobrem grauius Iudæi omnes ſtipendium in capita perſoluunt. Reliquorum autem bonorum.

pag. 83.

ἐξοῦ. Quo à Sacrorum præfectis numerato hominum numerus vnà cum ſexu atque ætate vniuſcuiuſque apparebat.

ibid.

ἐξῶν. ex quibus cum omnium numerum erat cogniturus quotannis, tum qui per ætatem arma ferre poſſent.

pag. 84.

Κένσος. Cenſus numi genus, capitatio, vel quod in capita penditur.

pag. 86.

οἱ δέ. Illi autem iuerunt Byzantium ſuis ſibi humeris breues quaſdam pelliceas veſtes ferentes, in quas domo cum proficiſcerentur nihil aliud, quàm panes biſcoctos coniecerant.

pag. 93.

διό. Quo factum eſt, ut non ſententia modò, ſed reliqua etiam in vtriuſque hiſtoriarum initiis ſint ſimillima. Quippe cum ab iiſdem carceribus procurrerit vterque ad hiſtoriæ ſtadium.

pag. 96.

ἀπὸ τοῦ καίνω à percutiendo.

ἀπὸ τοῦ καίειν. Quòd haud dubiè vrat.

παρὰ τὸ μάττειν. Quòd materiam ſubigat.

παρὰ τὸ δεῖσαι. Quòd humorem gignat.

pag. 97.

ἐκ τῶν. Ex iis, quę vnà cum migrantibus è Gręcia exciderant, & apud exteros adhuc peregrinabantur.

ἰέναι ire.

εἰδέναι. ἴσασθαι. Scire.

pag. 98.

ἰδρύσατο. Cereri ſignum ſtatuit, quam Iſim dixernnt

Aegyptii,

Aegyptii, à quibus ęquè Io Iſis eſt appellata.

Ibid.

θεὸν. deam colis ſupra modum ſapientem, ſtudioſamq́. ſapientiæ.

Ibid.

ἱερὸν λόγον. Sacrum ſermonem dea colligit, & componit & diuinitate initiatis tradit, aſſidua victus temperantia, & a multis cibis, & Venere abſtinentia libidinem voluptatiſq́ue amorem cœrcens, & virili atque firmo in ſacris cultui ferendo aſſuefaciens, cuius finis eſt primi, & principis, & ſub intelligentiam cadentis cognitio, ad quem apud ſe, verſantem ſecum, & conſuetudinem habentem quærendum hortatur.

pag. 110.

οὐκ ἂν. Nulli vſui cithara erit, & Veneris dona.

Comaq́; & forma.

pag. 111.

ἐλάχιστα. minimè ſe de ea laborare, ſed eam requirere, qua laudaſſet Achilles res præclarè à viris fortibus geſtas, affirmauit.

pag. 112.

παρὰ δὲ. Celebratur Romanorum ſermonib. vt autor eſt Poſidonius lib. nono & quadrageſimo hiſtoriarũ, Apicius quidam, vt qui luxuria mortales omnes vicerit. Hic ille eſt Apicius, qui exſilii autor Rutilio fuit ei, à quo Romana hiſtoria Gręcè eſt edita. De altero Apicio famoſę luxuriæ ſupra dictum eſt.

INDEX RERVM NOTABILIVM, ET AVTORVM.

Qui aut illuſtrantur, aut emendantur.

A

ABrutium olim Picenum fuit. 95
Achilles Statius Luſitanus. 99. veram ſententiam ſuã à Lipſio eripi ſinit. ibid.
Adriani murus in Britannia. 56
Aedificia mœnibus coniuncta Auguſti æuo. 39. 41. quando id fieri cœptum. 41
Aegypti incolatum numerus. 65
Aegyptii Mineruæ templo tectum nullum imponebant. 28. nullum in templis habebant humanum ſimulacrum. 29
Aerumnæ. 65
Africani maioris mors. 102
Alcæus Prætor Athenienſibus. 58. 59. 60
Alcibiades iniuſtus in rep. adminiſtranda. 81
Alexandro regnante qui Macedoniæ & Thraciæ fines. 156
Alexandriæ frequentia. 85
Alia productio nominis. 68
Amatores a puellis fratres dicti. 99
Ambitus Romæ Seruio Tullo regnante. 39. Auguſti æuo. 41. Impp. Veſpaſianis. 43. & ſeq. Aureliano imperante. 54. & ſeq.
Ambitus Athenarum. 40
Amictus. 35
Amphipolis Thraciæ vrbs. 71. vnde nomen inuenerit. 95
Amphitruo Plauti examinatur. 63
Amynias Archon Athenis. 60
Annorum ratio in veterũ libris præcipuè corrupta. 101
Annorum xxx. in hiſtoriis ratio falsò habita. 109
Annus, quo primi Coſſ. Romæ inierunt obſcurus. 105
Antiochus Margianam regionem muro cinxit. 56
Antipho Archon Athenis. 60
ANTONII QVAERENGI Laus. 118. præclaræ duæ corruptorum locorum emendationes. 119
Apicii quot fuerint. 112
Apicius an vixerit ſtante republica. 112. 113. qui ſub Tiberio vixit maximus oium n: pos. 113. ex qua gẽte fuerit. 114. Alter ſub Traiano. 112. autor de re coquinaria alius ab his duobus ex quorundam ſententia. 114
Apicius Gabba ſcurra nobilis ſub Tiberio. 114
Appianus Plutarchum ſequi ſolitus 70. eius fragmentum è libris amiſſis. Ibid. à calumnia uindicatur. 30 eius error. 3. locus illuſtratur 9. locus tentatus. 81. 82
Appuleius Platonis ſectator 119. Hippiæ Sophiſtæ patriam ignorare nõ potuit. ibid. eius floridi è variis fragmentis concinnati. 14. an indicem hunc debeant Appuleio. 15 recenſentur. 16. & ſeq. emendantur 22. & ſeq. locus emendatus. 111. 119
Appuleii inconſequens oratio. 24. de Samo pugnans cum Geographis ſententia. 25
Archias Athenis Archon. 59 61

Archy-

Archytæ ad Platonem epiſtola. 35
Arganthonius Gaditanus. 104
Ariſtides in priuatis rebus iuſtus, in publicis nō item. 80. eius dictum, cū publicas pecunias Delo Athenas transferret. ibid.
Ariſtio vel Ariſto Athenis Archō. 60
Ariſtophilias Athenis Archon. 58. 59 61
Athenarum ambitus. 39. 40
Athenæus Platonem calumniatur. 57. eius loci inter ſe collati. 112. ſententia de autore exſilii P. Rutilii Rufi examinata 113. locus de pane recocto. 86
Atheniēſium & Elæorum fœdus in annos centum. 59
Athenienſium & Lacedęmoniorum fœdus in annos quinquaginta, 56 59. Trepidatio Thermopylis à Philippo penetratis. 72
Atta epigrammatum ſcriptor. 115
Attenuare. 115
Atticorum menſium ordo. 73
Auentinus Auguſti æuo adhuc extra pomeriū. 41. extra muros quî fuerit. 43. intra duos muros fuit ibid.
Auguſtales ludi à Tacito, & à Suida commemorati alii atque alii fuerunt. 13. 13
Auguſtum menſem Februarium eſſe Gręci quidam ſomniant. 70
Auguſtus vt pomerium protulerit. 40. 41
Aurelianus muros vrbis dilatat non ampliato pomerio. 41. quibus cauſ ſis adductus dilatarit. 56. an ad quinquaginta prope M. paſſuum produxerit. 55. & ſeq.
Aureus denarius vetus quinis & vicenis æui noſtri aureis par. 85.

B

Belli inter Minoē & Nilum cauſſa. 33
Bellum ſociale, Marſicum, Italicum. 2. eius initia. 2. 3
Biſcocti vel Biſcoctini qui. 87
Bonorū æſtimatio cenſus dicitur. 83
Brumalia à Romulo quo conſilio inſtituta. 67. quid ſignificet. 67. 68
Bruti primi Romæ conſulis cædes. 100. 108. uita diuturnior, quam plerique hiſtorici tradunt. 108
Brutus cur ſacra Carneæ deæ Kal. Iuniis fecerit. 109. 110

C

C. Cęſar dictator pomerium vt protulerit. 40. 41. nihil aliud quàm capitationem Galliæ impoſuit. 79. 80
Candelæ nomen vnde ex Gręcorū ſententia. 96
Canticum quid. 112
Capitatio ex cenſu à Seruio Tullo inſtituta. 79. à Tarquinio ſuperbo abolita. ibid. in capita Romæ, & in prouinciis. ibid. cur par & æqualis 81. Iudæorum, Cilicum, & Syrorū diſpar. 82. denarius argenteus. 84. certo pecuniæ genere perſoluta 84
Capitulare tributum. 79
Capitum numerus cenſus dicitur, cum eſt relatus in tabulas. 83
Carmina cithara vt diuidantur. 111
Carnea dea 107. vitalibus humanis præerat. 109. ſacra ei fiebant Kal. Iuniis. ibid.
Caſtra Prætoria vrbis męnibus iuncta 49
Cato quoto ab V.C. natus. 101. 102
Cedrenus Februarium mēſem falsò Auguſtum eſſe credidit. 70. eius fabula de Furio Camillo. ibid.
Cenſus nomen ex Græcorum ſentētia vnde 96. vis triplex 83. vt accipiendus, cum numiſma cenſus dicitur. ibi. modus. 82. quid ſit. 84. certo pecuniæ genere perſolutus 84. ſine vllis tabulis a Seruio Tullo actus. 83
Centuriata comitia intra pomerium habere erat nefas. 42
Chronicum Martini Poloni fabulis refertum. 49
Cibo alieno veſci Romani turpe ſibi olim ducebant. 67

Ciceronis libri à plurimis emendati 101. loci aliquot ex libro de ſenectute reſtituti. ibid. & ſeq. locus ex oratione pro Seſtio emendatus 114. 115. locus. 61
Cilices tributum in capita quod per ſoluerint. 81. quod ex cenſu. 82
Cincinnatus ex agro ad conſulatum an ad dictaturam ſit euocatus, incertum. 70. Neronis æuo vt Cedrenus ſomniat, vixit. ibid.
Cithara carmina diuidere quid ſit. 111
Citharam Paridis uidere noluit Alexander. 111. eam ſeruabant Ilienſes. ibid.
Claudianus poeta grandis. 119. eius locus emendatus. ibid.
Conſtantinopolitanę uoces aliquando Romanæ à Græcis dictæ 87. earum exemplum. ibid.
Conſules primi Romę quo menſe & die inierint. 105
Conſules ab Italicis populis creati, cum à Romanis deſciuiſſent. 4
Corona, ſtrophium, aut tænia, qua mammæ cohibentur. 34
Criticis quid præcipuè animaduertendum. 101
Crocodilus impudentiæ Symbolū. 148

D

Δαιμόνιον. 42
Decemuiri Februarium ab vltimo ad ſecundum in anno locum tranſtulerunt. 108
Decreta Athenienſium ab oratorib. aliquando integra non deſcribuntur. 77. ab iiſdem corrumpuntur. 77. 78.
Demoſthenes an mendaciis Aeſchinem oppugnarit. 74. & ſeq. eius loci tres obſcuri. ibid.
Denarię note pro millenariis in veterum libris. 45
Denarius præcipuè argenteum ſignificat 84. argenteus capitatio fuit, non aureus. ibid. argenteus capitatio non ridicula 85. aureus vetus quot aureis noſtris reſpondeat. 85
Dies, quo primi conſules Romæ inierunt. 105. & ſeq.
Dio quo Apicium nomine vocet. 114 eius locus illuſtratus. 7. fragmentū è libris eius amiſſis de Furio Camillo. 70
Diogenes Laertius parum diligēs. 36
Dionyſius Halicarnaſſeus à Liuio diſſentit in Veiorum ab vrbe diſtātia 40. à Latinis in tempore, quo Cincinnatus eſt ad magiſtratum ex agro euocatus. 70. Liuio conciliatur. 43. vrbis magnitudinem cur metiatur mœnibus, non pomerio. 43. eius locus illuſtratus. 39. & ſeq. eius locus. 106. 107
Dionyſius Lambinus. 116
Δίπυρος ἄρτος. 86
Diuidere carmina cithara quid ſit. 111

E

Effati vrbis fines. 41
Ἔνδυμα. 35
Ennii mors. 102
Ephorus, ac Theopompus hiſtoriarū initia eodem argumento ſcripſerunt. 93
Erudnam Latini Iſim dixerunt. 98. eius nominis cauſſę. ibid.
Eſſe ad vrbem quid. 42
Etruſci victi à Catone Prætore. 6 in ciuitatem recepti 6. 7. eorū pars manſit in fide. 6
Euphemus Athenienſium Archō. 61
Exoſſare murænas, vel vt murænam quid ſit. 38

F

Fames Romæ ingens Auguſto imperante. 113
Februarius menſis anno Romuli additus à Numa 68. a Februario Gallo Romæ conſule ex Græcorum fabulis nomen accepit. 69. cur ceteris breuior ibid. a Cedreno Sextilis creditus 70. olim poſt Decembrem vltimum in anno locū tenuit. 108. a x. viris poſt Ianuarium collocatus. ibid.
Feſtus Pompeius ab Ouidio diſſentiens. 107. eius locus. 79. 116

Fim-

Fimbria C. Flaccum conſulem interfecit 31. in eius locum factus conſul non eſt. ibid. legatuſne fuerit Flacci, an equitum præfectus, an quæſtor. ibid.
Floridos libros ſuos an Appuleius ipſe appellarit. 15
Floridorum liber primus, ſecundus, & quarti pars orationis vnius mēbra. 15. 16. fragmenta diuulſa coniunguntur. 21
Fœdus inter Lacedæmonios & Athenienſes. 58. inter Elęos & Atheniēſes. 59
Fratres à puellis dicti amatores. 99

G

GAbba, Gabius, & Galba Apicii nomina. 114
Galliç ſtipendium à C. Cæſare impoſitum. 79
Quantum. ibid. capitatio fuit. 80. cenſus ab Auguſto primum actus 79
Gallieni ignauia, & apud omnes cōtemptus. 56
Glauc⁹ Minois filius à Polyido in vitam reuocatus 32. vel ab Aeſculapio 34. vaticinandi artem à Polyido docetur. 33. vaticinari vt deſierit. ibid.
Græci vocum origines aliquando ementiuntur. 96
Græcorum laus. 67. quorundam mendacia. ibid.

H

HErcules Aegyptius. 64. Græcus à Plauto nominari videtur vt deus, antequam natus ſit. ibid.
Heſychii locus. 84
Hippias Elęus Athenis tutò verſatus anno primo. xc. Olympiadis. 58.
Hippopotamus impudentiæ Symbolum. 28.
Hiſtoriam Romanam quæ corruperint. 91
Horatii locus ab Homero ſumptus. 110. illuſtratus. ibid.

I

Ιγγρουσία. quid, & cuiq; vox ſit. 87
Ieiuni potabant Græci & Romani. 36. 37
Ιεροσόλος Gręca vox optimæ notæ. 11. quis dicatur. 11. 12. idem σολεσής. 12
Imaginiſſimus. 24
Imperator, qui bene rem gerit alienis auſpiciis. 42. Extra pomerium proconſul dicebatur. ibid.
Indutus. 35
Initia Saluſtiana Catilinariç coniurationis & belli Iugurthini ſcripta eodem argumento. 88. Taciti annalium, & hiſtoriarum eandem propè habent ſententiam. 91
Inſtar magnitudo. 25
Interamnæ quæ vrbes dictæ 93. tres in Italia. ibid.
Interamna Nahars in Vmbria. 94. Latina ad Lirim. 93. Paleſtina in Piceno Romanorum colonia. 94. 95. In Sabinis eadē, quæ in Vmbria. 95.
Interānanæ terræ μεσοποταμία. 95
Interānates Lirinates. 93. Nartes 94
Interius non modò id appellatum, quod propius, verùm etiam quod breuius eſt. 42
Io Aſopi filia mutato nomine Iſis appellata. 97
Ioannis Mangani laus. 25
Ioſephi Bonfadii laus. 54
Ioſephi Scaligeri laus. 107
Iſaacus Caſaubonus. 55
Iſarchus Archon Athenis. 58. 60
Iſis Aegyptia dea. 97. Ceres fuit. ibid. antiquior Aſopi filia ibid. Sais. i. Minerua appellata. 98. Latinum eius deæ nomen. ibid.
Iſis Aegyptia vox, non Græca. 97. eius vocis Græcæ etymologię ibi. Aegyptiè quid ſignificet. ibid.
Italica lingua cinnus è uariis linguis 96
Italici populi non vno eodemq. tempore in ciuitatem recepti. 5
Iudęi quod tributum in capita Romanis penderint. 81. quod ex cenſu. 82
Iulia lex de ſociis à Cæſare dictatore lata eſt. 5. à quo. 6
Iulius Cæſar dictator ciuitatē tranſpa-

ſpadanis dedit. 5
Iunio menſi vnde nomen.107.eo mẽſe Tarquinius ſuperbus regnum occupauit 110. ſacra Carneæ deæ facta. 108.109.110
Iunonis Lucinę Theſauri. 83
Iuſtus Lipſius fratrem eſſe amatorẽ Tibullo falsò putauit.99.eiꝰ de Auguſtalibus ludis opinio reiecta.13 emendatio Tertulliani non neceſſaria. 14. emendationes in Plinio de vrbis magnitudine omnes reiectæ.44.& ſeq. à ſeipſo diſſẽſio. 48 memoriæ lapſus in Victoris teſtimonio. 49. hæſitatio ĩ capitatio e 79.Suetonii locus ab eo corruptus 79.80.rationes pro capitatione ex cenſu confutatæ 80. 81. in iuſtitiæ momentis ponderandis indiligentia 81.in cenſus nomine error.83. de exacto capitationis nomine aureo denario ſententia exploſa.84.
Iuſtini locus. 59
Iuſtitiæ in republica adminiſtranda quis locus. 80
Iuuenalis illuſtratus. 36.37.62.114.
Iuuenatius fluuius nũc Tordinus in Abrutio 95
Iuuenalis Theſauri. 83

K

Kalendarii autor ab Ouidio diſſentit. 106.110.
Kalendis Ianuariis an primi conſules inierint 106.inire cęperunt anno V.C.DC. ibid.
Καρηκομόωντες. Gręci. 111

L

Lacuna in mento pars pulchritudinis. 25
Lampridii locus de publicis vectigalibus 85. trahitur à Lipſio repugnans ad capitationem. ibid.
Latina lingua multa ab aliis linguis mutuata. 96
Legati Athenienſium ad Philippum 76
Legatus, & proquęſtore idem. 31
Leonina ciuitas Romę pars. 49
Lex de Latinis & Italicis populis ciuitate donandis à quo lata. 6
Liber de limitib. agrorum emendatus 94. conſutus ex variis fragmentis uariorum autorum. ibid.
Libitinæ Veneris Theſauri. 83
Librariorum quorundam religio. 26
Libri de re coquinaria cuius Apicii ſint. 114
Lingua Latina, atque Italica multa ab aliis mutuatæ. 96
Liuianæ epitomæ emendatæ. 6. illuſtratæ. 8.10
Liuius Varronem notat.41.ab Halicarnaſſeo diſſentit.40. Halicarnaſſeo reconciliatus. 43
Liuii poetæ ætas. 102
Lucinæ Iunonis Theſauri. 83
Lucretii locus variè ſcriptus. 116. vt ſcribendus. 117
L. Flaccus à Fimbria conſul interfectus. 30
L. Quinctius Cincinnatus ad conſutum an ad dictaturam ex agro euocatus. 70. Neronis æuo non vixit, vt ſomniat Cedrenus. ibid.
Lyſander Lacedæmonius vtilitatem iuſtitiæ præponere ſolitus. 81

M

Macedonię, & Thracię fines. 116
Mantilis Græca etymologia. 96
M. Antonii Mureti de autore librorũ de re coquinaria ſententia. 114 error. 66
M. Furius Camillus cur actus in exſilium. 68
Margiana regio ab Antiocho muro vallata. 56
Marſi à quib. ciuitate donati 9. quo tempore in veteres tribus deſcripti. 10
Marſicum bellum. 2. eius initia. 2.3. cur ſic appellatum. 4
Martialis locus. 100
Martini Poloni Chronicum multis fabulis refertum.49. de vrbis magnitudine teſtimonium 44.eleuatur. 49
Μεγάλη πόλις & μεγαλόπολις. 117
Menſes ſeptem in vnam fabulam à Plauto coniecti. 66
Menſium Atticorum ordo. 73

Menſu-

Menſura omnium intra vrbem uiarũ 52. Vicorum. 54
Mentum laculatum mollitiei argumentum. 25
Μεσοποταμία. Interamnanæ terræ. 95
Milliarium aureum in vrbe medium non fuit. 48
Milliones triginta exigi ſquã Romanis potuerunt, ſi argenteus denarius capitatio fuit. 86. à Lipſio ex vno xv. facti. 80
Minerua ab Aegyptiis Sais dicta. 98
Mineruæ templa apud Aegyptios ſine tecto. 29
Mœnia vnà cum pomerio non ſemper Romæ ampliata. 40. producta non ampliato pomerio. 40. 41
Mœnibus vrbes apud pleraſque omnes gentes cenſentur. 43
Murænæ vt exoſſentur. 38. tenuibus ſpinis ſcatent. ibid.
Muri, quibus eſt Roma ab Aureliano vallata, validiſſimi. 55. an eſſent collapſi cum victus eſt à Conſtantino Maxentius ad Muluium pontem diſputatur. 55. & 56
Muris vrbes apud pleraſque gentes cenſentur. 43
Murus ab Adriano in Britannia ductus. 56. quo Margiana regio ab Antiocho cincta eſt. 56

N

NAr Sabinos diuidit ab Vmbris. 95
Nero pomerium vnà cum muris ampliaſſe videtur. 41. vrbis muros Oſtiam producere voluit. 55
Neſtoris ætates. 103
Nicolai Fabricii Galli laus. 43
Notæ denariæ pro millenariis in veteribus libris 45
Numerus Aegypti incolarum. 85. Alexandrinorum. ibid. hominum in Romano imperio. ibid.
Numiſma cenſus quid. 83

O

OBertus Gifanius. 116
October primus anni Romani menſis. 107
Ὅλος. 75
Olympiodori de Vrbis magnitudine locus. 44
Onuphrii Panuinii opinio reiecta. 8 de loco Vopiſci de Vrbis magnitudine ſententia. 54
Ὅρια effati vrbis fines. 41
Ouidius à Kalendarii autore, & Varrone diſſentiens 106. conciliatus Plutarcho. 107. de vetere mẽſium ordine locus. 108. verſus illuſtratur. 22

P

PAnis recoctus in delitiis. 86. 87. vulgaris. 86
Paradiſi Græca etymologia. 96. Hebraicum nomen eſt. ibid.
Paris mollis & effeminatus. 111. citharam à Venere dono accepit. ibid.
Paridis citharam Ilienſes ſeruabant 111. eam videre noluit Alexãder. ibid.
Patauii ambitus. 40
Ραξαμᾶς. 87
Peligni quo tempore ciues facti. 9. diſtributi in veteres tribus. 10
Περίβλημα. 35
Περιβόλαιον. 35
Philippi Macedoniæ regis doli. 71
Philippi, & Alexandri æuo qui Macedoniæ fines. 116
Phocenſes à Philippo Macedone profligati. 72
Photius in bibliotheca. 44. emendatus. 93. 111
Picentes à quibus ciuitate R. donati. 9. in veteres tribus deſcripti. 10
Platonis locus in Protagora. 58
Plautus poeticas leges neglexit. 63 eius Amphitruo examinatur. ibid. Herculem vt deum nominat, antequam is natus eſſet. 63. in vnum diem ſeptem menſes conicit. 66. illuſtratus. 38
Plinius Vrbis magnitudinem exactè voluit repreſentare 47. cenſor morum grauiſſimus. 36

memo-

memoria lapſus 95. eius locus illuſtratus de ſpatiis in Circo. 53. de vrbis magnitudine locus à Lipſio fruſtra tentatus.43.& ſeq.
Plutarchus Ouidio conciliatus.107.108.eius ſententia de Iſidis Græca etymologia.97. de Iſide locus 98. lux illi data.11. locus eius reſtitutus.27.Clementi Alexandrino cõciliatus.29.
Polyidus Cœrani F. vates.32.Glaucum Minois F. reuocat in vitam. 33. eundem vaticinandi artem edocet. ibid. Megaram ſe recipit, & reperitur a Min œ ibid. multa eius in veterum tragœdiis mentio. 34
Pomerii veteris à quonam ſublata religio. 41
Pomerium quid. 41. vnde nomen acceperit. ibidem. vrbis finis. 42. 43. auſpiciorum vrbanorum terminus. 42. verbi vis ſpectata produci non potuit non ampliatis mœnibus.42.prolatum nõ ampliatis mœnibus.42.prolatum non ampliatis muris.40.41.42.cui vſui.42 cum muris non ſemper ampliatum. 40.41
Πωμήριον. 41
Porta flumentana Conſtantini quo ſita,ubi nunc eſt. 55
Portæ Rauduſculanæ & Næuiæ vici,olim viæ. 54
Portæ, ad quas communis ferebat via, Romæ xii. fuiſſe olim uidentur. 53
Potus ieiunorum in Græcia & Romæ 37.multis modis nocebat.ibi. qui ex eo fructus percipi crederetur. ibid.
Proconſul extra pomerium dicebatur Imperator. 41
Ptolemæus nouarũ hiſtoriarũ libros ſeptem ſcripſit. 111
P.Rutilii Rufi exſiliũ.112. eius cauſſæ. 113
P. Sulpicii rogatio de nouis ciuibus in tribus diſtribuendis. 8.9
Πυλῶν templum. 28

Q

QVini & viceni aurei noſtri deſtri denarium veterem aureũ efficiunt 85

R

REgiones vrbis à mœnibus remotæ. 51
Regionum ambitus ad ambitũ murorum non facit. 51
Regisfugium in menſem Februariũ incurrit. 106.in a.d.vi. aut vii.Kal. Martias. ibid. olim in a.d.vi. aut vii.Kal.Ianuarias. 108
Regisfugium alterum. 106.107
Rex ſacer Romæ poſt reges pulſos. 107
Roma Athenis magnitudine par.39 tribus rationibus aucta. 40. an in circuitu ad L.M.paſſuum vnquam patuerit.55. cum eſt capta à Gothis minùs quã olim frequens. 57. Si ad L. M. paſſuum patuit, dupliciter muro vallata 56.57. eius ambitus Seruio Tullo regnante & Auguſti æuo 39. Veſpaſianis imperãtibus 43.52.cum eam Gotthi ceperunt.44. Aureliano imperante. 39. 54. Mœnia cur non ſint vnà cum pomerio à Sylla,Cæſare, Auguſto amplificata 42. cur mœnibus eius amplitudinem Halicarnaſſeus,nõ pomerio ſit metitus.43. Nomen non muros tantùm,ſed continentia quoque ædificia continet. 43. Pars cis Tiberim multo ea, quæ trans Tiberim, amplior fuit. 50. magnitudo ex quibus præcipuè poſſit intelligi. 52
Romana vocabula Græcis aliquando Conſtantinopolitana. 87
Romanam hiſtoriam quæ corruperint. 91
Romani imperii opes à Lipſio in immenſum auctæ 80.85
Romani Macedoniæ fines trans Neſſum produxerunt. 116
Romanis cibo alieno veſci olim pro bro

bro datum. 67
Romulus quo conſilio ex Græcorũ ſententia Brumalia inſtituerit. 67.
Rotunda ſumma. 108. 109
Rufus quo tempore de Vrbis regionibus ſcripſerit. 51

S

SAbinos ab Vmbris Nar diuidit. 95
Saccharum inter luxuriæ inſtrumenta olim non fuit. 87
Sais Minerua Aegyptiis eſt. 98
Saluſtius in Catilinaria & Iugurthino initiis eiuſdem propè ſententiæ vſus 88. emendatur. 89
Samos vbi collocetur ab Appuleio 25. vbi ſita ibid.
Σκαπτὴ ὕλη in Thracia. 117. patria vxoris Thucydidis. ibid.
Σκαπτησύλη in Macedonia. 117
Scapteſula, Scaptenſula, σκαπτὴ ὕλη, & σκαπτησύλη vnus idemque locus. 117. in eo auri & argenti metalla. ibid.
Scholia vetera in Iuuenalem. 114
Scipionis maioris mors. 102
S.C. Romæ aliquando ementita. 78. Athenis corrupta. 77.78
S.C. id factum dicitur, de quo lex ẽt lata eſt. 6
September primus olim, vt quidam volunt, anni Romani menſis. 107
Seruius Tullus tributum ex cenſu exegit 79. quam ruſticos, & vrbanos cenſendi ſine tabulis rationẽ excogitarit. 83
Sigiſmundus Gelenius. 82
Sociale bellum, Italicum, & Marſicũ 2. eius initia 3
Stephanus. 116
Stipendium Galliæ a Iulio Cæſare impoſitum capitario fuit. 80
Στολιστὴς idem qui ἱεροστόλος. 12. certus quidam ſacerdos Aegyptiorũ. ibid.
Storea quotãnis in foro Romano verberibus cæſa. 70
Strabonis locus illuſtratus. 7
Suburbia Romæ ingentia 39. 49. Vrbiũ ſingula magnitudine. 43. producta vſque ad uicinas Romæ vrbes 49
Suffragium dari quid aliquando ſignificet. 10
Suidas haurit aliquando ex impuris fontibus. 67
Suſcitabulum quid. 112
Sylla vt pomerium protulerit. 40. 41. veteris pomerii religionem ſuſtulit. 41
Syri quod tributum in capita Romanis perſoluerint 81. quod ex cenſu 82

T

TAcitus duorum operum initia eodem propè argumento ſcripſit 91. ſibi conciliatus 92. illuſtratus. 13
Tarquinius ſuperbus Iunio mẽſe regnum occupauit. 110. tributum in capita reuocauit. 79
Tectorum Romę altitudo. 44. 54
Tempora quatuor, quibus Italicis populis ciuitas eſt data. 5
Tempora in veterum libris corruptiſſima. 101
Temporibus ſuis in hiſtoria reddenda omnia. 29
Tenues ſumptus. 115
Theophraſti de Ariſtidis iniuſtitia teſtimonium. 80
Theopompus atque Ephorus hiſtoriarum ſuarum initia eodem argumento ſcripſerunt 93
Theſauri Iunonis Lucinæ. 83. Veneris Libitinæ. ibid. Iuuẽtatis. ibid.
Thraciæ & Macedoniæ fines. 116
Tibulli verſus illuſtrati. 99
Tragicorum veterum fabulæ unius diei finibus nõ circumſcriptæ. 66
Trantiberinæ regionis ambitus. 49
Tribus, in quas poſt bellum ſociale deſcripti ſũt noui ciues, nouæ fuerunt. 8. de earum numero ambigitur. 4. 8
Tributorum tria genera. 79
Tributum capitulare, ſiue in capita 79. denarius argenteus fuit. 84
Tributum in capita curæquale. 81
Triginta milliones Romani à ſubditis

tis exegerunt capitationis nomine ſi capitatio denarius argenteus fuit. 86

V

VArro à Liuio notatus. 41. eius locus. 107
Veij Roma quantum abfuerint. 40. paullò minores Athenis. ibid.
Velleij locus illuſtratus. 8. Error 30. eius erroris origines. 31
Veneris Libitinæ Theſauri. 83
Venetiarum ambitus 40
Venetæ triremes. 86
Veſpaſiano imperante quãta Romæ amplitudo. 43. & ſeq.
Veſtium genera duo, amictus, & indumentum. 35
Viarum in vrbe menſura. 52
Vici portę Rauduſculanæ & Næuiæ olim viæ ad eas portas ferentes. 54
Vicorum omnium vrbis menſura. 54
Victor quo tempore ſcripſerit. 51
Viæ quę olim ad duas Romæ portas ferebant. 53. quæ olim in uicos abierant. ibid.
Vinum ſaltationem docuit. 14
Virgilij locus. 62. loci duo emendati. 32. 34
Vmbilicus vrbis. 48
Vmbros à Sabinis Nar diuidit. 95
Vmbris quo tempore ciuitas data. 7
Vopiſcus in vrbis ambitu prodendo falli non potuit. 55. quo tempore ſcripſerit. ibid. vulgata eius lectio illuſtrata 57. de vrbis magnitudine locus. 54. corruptus ex Panuinij ſẽtentia ibid. à Ioſepho Bonfadio emendatus. 55
Votum poſtulare Appuleio quid ſit. 22
Voti formula cũ nihil certi petimus à dis. 22
Vrbis augendæ rationes tres. 40. magnitudo ex quatuor capitibus à Plinio colligitur. 52. mœnia cur nõ ſint à Sylla, Cæſare, Auguſto vnà cum pomerio ampliata 42. magnitudinem cur Halicarn. mœnib. nõ pomerio metiatur. 43. ambitus Seruio Tullo regnante. 39. Veſpaſianis imperantibus. 43. 52. cum eam Gotthi inuaſerunt. 44. nomen mœnibus continetur. 43
Vrbes muris cenſeri ſolitæ. 43
Vtilitas iuſtitiæ mater 80. in reipubl. adminiſtratione quem obtinebat locum. 80. 81. ab Ariſtide, Alcibiade, Lyſandro iuſtitiæ prælata. 80. 81
Vtrinque Appuleio & Plinio quid. 26. 27.

X

XIII. in xxx. mutatum. 46

Z

Zoſimi locus.

FINIS.

ERRA-

ERRATA.

PRimùm admonendus es lector impetrari ab operis nulla ratione potuiſſe, vt quæ erat in meo exemplari ratio interpungendi, in ea repræſentanda eſſe vellent diligentes. vt mirum non ſit, ſi multis in locis erit corrupta. Deinde in hunc indicem grauiora tantum errata eſſe congeſta, ac ne ea quidem fortaſſe omnia. Quę me fugerint, ea ſpero fore vt tute emendes, & quę tua humanitas eſt, mihi ne imputes.

2	faller	fallor
3	eadem	eodem
	Intelligeret	intelligere
	iuere	fuere
	cæpiſse	coepiſse in hac dipthongo

frequenter à librariis peccatum eſt, qui mænia mæchum, proęmiū, comędi, pęnas, & alia ſcripſerunt ad eundem modum. Vnde igitur illa per incuriam impreſſorum deiecta eſt, eo ſemper reſtituatur.

5	μέκρι	μέχρι
	ἔκρηζον	ἔχρηζον
6	vtrumque poſſit	vtrumque eſſe poſſit
7	& qui non dep.	& qui depoſuerant
10	conitiis	comitijs
14	ceſſent	eſſent
16	iu mea ſententiam	in mea ſententia
17	pueritia	peritia
18	lallor	fallor
21	omni cana	omnicana
23	placct	placet
24	inititium	initium
28	πωλῶνα	πυλῶνα
30	ἐπὶ ἐκεῖνον	ἐπὶ ἐκεῖνον αὐτόν.
31	Hæc igitur à Fimb.	Hæc igitur ſi à Fimb.
32	Gorynius	Gortynius
33	admiſurum	dimiſſurum
35	περιβόλαιου	περιβόλαιον
	miſſos	miſſos
37	ſcialacquarſi	ſciaquarſi
38	murenę	murænę
41	Atque hæc cauſſa	Atque hæc fortaſſe cauſſa
42	definiebatur	definiebantur
43	illuſtrarus	illuſtratus
47	exigium	exiguum
48	xxli	xlii
	magnificiendum	magnifaciendum
	fateore	fateor
49	Tybur	Tibur
	partem partem	partim partim
51	æ	ne
53	ferrrent	ferrent
[redacted]		
58	ἐπὶ ἐξ ἐπι	ἐπὶ ἐξ ἔτη
59	ἡσυχιά	ἡσυχία
	μαντινεῖς	μαντινεῖς
	ανδροθένης	ανδροσθένης
60	τήνδε	τήνδε
	OLIMPIAS	OLYMPIAS
63	aliud	illud
64	inuocant	inuocat
65	Turbæ, quę	Turbę quę
66	capitulo	capite
67	neceſſariū dictitans	neceſſ. eſſe dictitans

ἀδιλφοσ ἀδελφός
ὕβρεος ὕβρεος
69 ὑπὸ θεσιν ὑπόθεσιν
70 tradant tradunt
ὑπέξεσχεν ὑπεξέσχεν
73 Scopú ſcopú.& multa pꝛeterea ſcripta ſunt maioribus characterib. quã minores poſcunt
74 ἔςι ἔςι
75 ἤδη οὔσης ἤδη οὔσης
& tum & tamen
77 ἐπίςαθε ἐπίςασθε
fe ſe
78 argentum argenteum
Lipfius Lipſius
80 neſcirent ne ſcirent
83 qui vrbem colebant.hęc ſunt inducen.
84 vice vicenos
ſuit fuit.
85 æſtimauit æſtimat
tantum aurum tantum auri
87 Hi maioribus characteribus hæc deſcribenda fuerunt.
88.Hominis.hæc quoque maiores litterarum formas po
ſcebant.
89 Omnia iura omnis cura
pratium pretium
91 ſtante republica.maioribus characteribus deſcribenda hæc erat
multimodis
proemio proęmio
ingeniæ ingenia
95 horum ſatis. horum locorum ſatis
97 nomen. nomen?
98 nomae nomen
99 auſpirare aſpirare
101 erat erant
102 T.Flaminius & M. T. Flaminius & M.
103 Quarum inquit earum inquit
104 ſpem quidem.hęc mea non Ciceronis verba ſunt
105 nieruut inierunt
uuarias fuiſſe. Ianuarias fuiſſe
[redacted]
108 cellotus collocatus
Quinalia Quirinalia
[redacted]
111 neſciunt neſciant
ita ſenrio legendum ita ſentio;legendum
116 Maronem Maronęam
117 vnum idem vnum idemque
nomine nomini.

VINCENTII
CONTARENI
DE FRVMENTARIA
Romanorum largitione
LIBER
In quo ea præcipuè, quæ ſunt à
IVSTO LIPSIO
cum in Electis, tum in Admirandis de eadem
prodita, examinantur.

Eiuſdem

DE MILITARI ROMANORVM STIPENDIO
Commentarius.

Superiorum Permiſſu & Priuilegio.

BIBLIOTECA NAZIONALE V.E.
ROMA



VENETIIS, MDCIX.

Apud Nicolaum Polum.

ILLVSTRISSIMIS
ATQVE EXCELLENTISS.
TRIVMVIRIS

Patauino Gymnaſio moderando

M. ANTONIO MEMO D. MARCI PROC.

ANTONIO PRIOLO AEQVITI ET D. MARCI PROC.

ANDREAE MAVROCENO SENATORI.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

Vincentius Contarenus S. P. D.

SI generis veſtri claritatem ſpecto Ill.mi atque Excell.mi Triumuiri, earum gentium familiæ veſtræ ſunt, quæ præcipua inter Italicas nobilitate cenſentur. Si dignitatem; omnes honeſtiſſimum, pleriq; ue ſummo proximum in REP. VENETA locum

obtinetis. Si propēſam ad bonarum artium ſtudia iuuanda voluntatem; ea fidei veſtræ publice ſunt commendata. Si quantum vobis præcipue debeam; muneris veſtri eſt, quod honeſto fruor otio, quod vnis, vt ſemper optaui, litteris vaco, quod apertus mihi a vobis eſt curſus ad laudem, atque adeo, niſi per me ſtet, ad immortalitatem, cum ſex abhinc annis doctrinarum omnium principibus me in Patauina Academia collegam adiungendum cēſuiſtis. Quamobrem cauſſas, cur inſcribi aliquid vobis debuerit depromptum e ſtudiis meis, cur quæram, aut comminiſcar, nihil eſt. Cum enim de vobis cogito, ſatis multas, & quidem graues reperio. Cum autem vires meas conſulo, quid ſciam, quid ſuſceperim, quid præſtiterim; venit in mentem vereri, non dicam, ne vobis, quorum eſt incredibilis humanitas, ſed ne forte alijs nomine veſtro ad libelli huius commendationem videar abuti. Quos in litteris progreſſus fecerim; mei iudicii non eſt; id vnum ſcio, tam multis partibus eſſe plura, quæ neſciam, vt quidquid id eſt viæ, quod confeci, præ eo quod reſtat, puncti inſtar

ſtar

ſtar ſit. Præterea in tam difficili verſor argumento, vt vel me iudice, eximium IVSTI LIPSII ingenium fatigarit. Quid igitur putem præſtare poſſe me Amplitudine veſtra non indignum, & loci claritate, quem poſt SIGONIVM. V. C. a me teneri voluiſtis? Vt nihil præſtem, conari iuuat, neruosque omnes intēdere, vt quod Vobis pro immortalibus veſtris in me beneficiis debeo, ſaltem voluiſſe videar aliqua ex parte diſſoluere Cuius autem ſtultitiæ fuerit, vos publicos litterarum patronos, æſtimatores induſtriæ, iudices ingeniorū adeo negligere, vt quæ propria veſtra cognitio eſt, eam aliis tribuam, & iudicare prius quēquam de me, quam Vos ſelectos iudices malim? Nam obſcura, multisque implicata difficultatibus quæſtio, & magnum in litteris LIPSII nomē faciunt, vt mihi opus ſit latere in tutela, & præſidio dignitatis veſtræ. Magnum enim & anceps ineo certamen cum gratioſo aduerſario, qui ingenii atque induſtriæ opinione omnium ferme animos iampridem occupauit. Male igitur mecum agatur, ni Vos habeam patronos, quorum me recreet virtus, reficiat humanitas

manitas, reuerentia confirmet. Spero etiam fore, vt me vobis conciliet PETRVS BEMBUS, cui Vos vt patria, ſic hiſtoria coniunxit; qua res præclare a maioribus veſtris bello & pace geſtas immortali memoriæ conſecrauit. Qui igitur alteram eius beneficio, non pecuniæ ſed gloriæ, quæ vobis eripi nullo modo poſſit, hæreditatem creuiſtis, ei optime merito gratiam referetis, ſi quod mihi otium facitis, id vobis non modo volentibus, verum etiam fauentibus in eius fama ſarta tecta tuenda cõſumpſero. Id enim ago, molior quidem certe, & hunc libellum, quo mihi viam muniat, præmitto. Is poterat, fateor, & premi diutius & acriore ſtudio perpoliri, ne cetera a fronte, quam nomen veſtrum ornat, diſcreparent. Sed in tanto frugum prouentu, quo anno Ceres peregrinata eſſe his regionibus videtur, mea ego frumenta premere non debui, ſed potius Romanorum exemplo largiri, vt vbere annona quemadmodum corpora, ita ingenia alerentur. Hoc enim conſilio me ad ſcribendum contuli. Quod ſi id ſum, quod volebam, aſſequutus, Vobis ſecundum Deum

referri

referri acceptum volo: ſin minus, hoc ſaltem aſſequar, vt apud omnes teſtatum relinquam, me, quantum vobis debeam, intelligere. Valete.

Patauij Pridie Kal. Sextiles CIↃ IↃ CIX.

GLI Eccellentiſſimi Sig. Capi dell'Eccelſo Conſeglio di X. infraſcritti hauuta fede dalli Sig. Reformatori dello Studio di Padoa, per relatione a loro fatta dalli doi a queſto deputati, cioè del R. P. Inquiſitor, & del Circ: Secretario del Senato Gio. Marauegia, che nel Libro intitolato *Vincentij Contareni De frumentaria Romanorum largitione liber &c.* non ſi troua coſa contraria alle leggi, & è degno di ſtampa, concedono licentia, che poſſi eſſer ſtampato.

Datum die 13. Auguſti 1609.

D. Benetto Sanudo
D. Filippo Bembo } Capi dell'Eccelſo Conſ. di X.
D. Lorenzo Marcello

Excellentiſs. Conſ. X. Secretarius
Io. Baptiſta Padauinus.

INDEX CAPITVM.

DE frumentariæ largitionis initio, & progreſſione, dum fuit arbitraria. Caput I.
Leges de frumentaria largitione. Caput II.
De frumentarijs Principum largitionibus. Caput III.
De pane pro frumento dari cœpto. Caput IV.
De modo frumenti. Caput V.
De ijs, quibus dabatur publicum frumentum. Caput VI.
De numero accipientium publicum frumentū. Caput VII.
De ijs, qui curabant publicum frumentum. Caput IIX.
De ijs, qui frumentum diſtribuerunt. Caput IX.
De frumentarijs prouincijs. Caput X.

PRÆCIPVA QVÆDAM Diſputationis Capita, in quibus Contarenus a LIPSIO diſſentit.

Capite I.

NON eſſe id initium frumentariæ largitionis, quod tradit Lipſius primo Electorum Cap. VIII. ex LIVIO qui de largitione verbum nullum facit.

II. Integrum Pliniј e libro XIIX. Cap. III. locum de Marciј largitione fruſtra a Lipſio emendari.

Cap. II.

III. Nulli eſſe culpæ affinem, neque ab aliorum ſcriptorum conſuetudine diſcedere APPIANVM, cum affirmat lege Sempronia datum plebi frumentum ἀπὸ τῶν κοινῶν, de publico.

IIII. Legem Semproniam non modo ante Syllam fuiſſe abrogatam, ſed tres præterea de frumentaria largitione, aut promulgatas aut latas ante Syllanam dominationem.

V. Legem Terentiam, quam ſignificat Marcius trib pl. apud Saluſtium in hiſtoriarum fragmentis fuiſſe perlatam.

VI. Ανέμητον eſſe eum, cui nihil diuidatur, non autem infinitum, vt Lipſius vertit.

VII. S.C. in Catonis ſententiam factum, & ratum fuiſſe.

VIII. Non vnam a Clodio, ſed duas latas eſſe frumentarias leges.

IX. Suaſu Catonis frumentum gratis datum non fuiſſe.

Cap. III.

X. Auguſtum XI. conſulatu duodecim frumentationes famis cauſſa emenſum non eſſe.

Pretium frumenti, quo de agit TACITVS libro Annalium XV. non fuiſſe eius, quod Imperatores largiri erant ſoliti,

cum

cum id fuerit a lege Clodia omnino gratuitum.

Cap. IV.

Neq; a Traiano panem pro frumento dari cœptum, vt docet Lipſius in Electis, neq; circa Flauiorum imperium, vt in Admirandis Cap. X. lib. II. quæ vtraque initia confirmat veterem teſtimonijs, neque tamen eorum pugnam dirimit. XI

Potuiſſe Lipſium animaduertere fabulas cani a vetere Perſij interprete, cum in Satyram III. ſignificatum ait panem fiſcalem ab eo, qui Satyra V. frumentariam largitionem agnoſcit. XIII.

Lapi Lipſium in IVVENALIS loco interpretando, non modo quia poeta reclamat Satyra VII. verum etiam quia ipſemet ſecum pugnare videtur, cum in TACITI Annalium Librum IV. de pane vænali hæc ſcripta docet. XIV.

Vitioſam eſſe eam concludendi rationem, qua vtitur Lipſius in VICTORIS loco. Si collegium piſtorum a Traiano, ergo & panis fiſcalis. XV.

Cap. V.

Aeque vitioſam eſſe alteram, qua vtitur, vt oſtendat, modum frumenti minimum fuiſſe modios ſenos, quia Marcius apud SALVSTIVM vt exilem modium quinum largitionem criminatur. XVI.

Falſo Lipſium ſcripſiſſe in Admirandis ordinariam largitionem fuiſſe X. modiorum, atque id a ſe in Electis notatum, vbi non modo hoc non notat, ſed contrariam etiam ſententiam probat, quam ego Cap. III. Dionis teſtimonio confirmaui. XVII.

Cap. VII.

Dionis verba de frumentantium numero a Cæſare ad partem dimidiam redacto Lipſium male interpretatum videri. X

Auctum a Cæſare frumentantium numerum probabilius videri, quam veterem, vt putat Lipſius, eſſe reuocatum. X

DIONEM in recenſus ab Auguſto acti tempore, & in pecu-

nia ſumma non modo non erraſſe, verum etiam in his prodendis ſumma fide, ac diligentia eſſe verſatum.

XXI. *Factus necne ſit ab Auguſto, quo anno XIII. conſulatum geſsit, populi recenſus, ex lapide Ancyrano intelligi non poſſe.*

XXII. *Lipſium ſemel & iterum Ancyrani lapidis exemplar fruſtra emendare conatum.*

XXIII. *Vitioſa tertia Lipsij argumentatio. Auxit Tiberius TACITO teſte libro Annalium VI. numerum frumenti: & frumentantium igitur.*

Cap. VIII.

XXIIII. *Aediles frumentaria curatione ſolutos lege Terentia, quam Sempronia veriſimilius videri.*

XXV. *Turranium titulo annonæ Præfectum, reuera Auguſti in hac curatione Vicarium fuiſſe, contra quam Lipſius ſentiat in Electis, & in TACITI Annalium lib. I.*

Cap. IX.

XXVI. *Viariam legem a Curione eſſe iactatam, non vineariam, vt Lipſius vult, COELII locum ex epiſtola ad Ciceronem corrumpens.*

Cap. X.

XXVII. *Africani frumenti modum a Lipſio neq; in Electis, neq; in Admirandis ſatis fuiſſe inueſtigatum.*

XXVIII. *Potuiſſe Lipſium animaduertere Ioſephum in Agrippæ oratione ad Iudæos cauſſæ ſæpe ſeruire.*

XXIX. *VICTORIS locum de Aegyptio frumento a Lipſio corrumpi, vt inuitum Ioſephum ſeruet.*

XXX. *Multos veterum ſcriptorum locos trahi a Lipſio repugnantes ad frumentariam largitionem, quacum nihil illis rei eſt.*

VINCENTII CONTARENI

De Frumentaria Romanorum largitione

LIBER.

SI qui ſunt, qui cupiant recta graſſari ad gloriam, neque ex aliena ignominia famam aucupentur, in his ego nomen profiteor meum. Semper enim in ea fui ſententia, vt exiſtimarem, qui ex alienis incommodis ſua comparant commoda, violari ab ijs hominum inter homines ſocietatem, & dari non obſcura praui atque obtuſi ingenij argumenta. Quippe cum re ipſa fateantur, præciſam ſibi eſſe omnem ſuper ceteros eminendi ſpem, ni aliorum ruina ſe fulciant, atque attollant. Sed vt docent officiorum magiſtri, incidunt tempora, cum, quæ turpia & iniuſta ſunt, fiunt contraria, & viros bonos, excelſoque animo præditos decent. Neque enim qui ſeruiunt communi vtilitati, ſapientum iudicio ſunt vlli culpæ affines, ſi facere non poſſunt, quin de aliena fama quid detrahant: & fuit laudabile Romæ inſtitutum, priuſquam odijs, atque ambitu corrumperetur, commendationem ætatis ab accuſatione

ne

ra, & vnus ex omnibus nulli errori obnoxius: ſcilicet Olympi ſimilis, cuius verticem aſtris propiorem, quam terris negant vllis obduci nubibus, vllis perflari turbinibus ventorum. vt verendum ſit maximopere, ne præiudicia de tanti viri doctrina veritati ad animum aditum præcludant, meque nequidquam clamante, ac repugnante loqui e tripode tunc etiam videatur, cum e paluſtro iactat in BEMBVM maledicta verius, quam crimina. Quare faciendum eſt, vt muniam mihi ad defenſionem viam, & ad fidem; atque hominem eſſe LIPSIVM oſtendam, ad cuius diligentiam & iudicium aliquid poſſit accedere. Quod ſi aſſequor, de eodem oleo, atque opera conſulam veritatis amantibus; ijs præſertim, qui aut diſtricti grauioribus negotijs, aut in aliarum artium tractatione occupati ita diuertunt ad noſtras, vt ſingula examinare per otium non poſſint. Hi enim ſunt in primis idonei, qui fallantur; præſertim in legendis LIPSII libris, in quibus multa a vero abhorrentia ſub veri perſona latent. Ea omnia qui velit excutere, prouinciam ſuſcipiat eo grauiorem, quo eſt difficilius refellere mendacium, quam dicere. Mihi ſane ſatis ſuperque erit pauca e plurimis in medium afferre, vt ex ijs coniectura de ceteris fiat. Familiam ducet hæc de frumentatione diſputatio: ſequentur variæ lectiones meæ, in quibus interdum a Lipſio diſſentiam. Hæ dum deſcribentur, inſtitutam abſoluam BEMBI defenſionem, daboque operam, vt omnes intelligant, LIPSII cenſuram, ne quid grauius dicam, eſſe leuiſſimam. Cogent agmen libri de FALSA magnitudine Romana, quibus ADMIRANDA oppugnabo, & illos præcipue gigantum more congeſtos auri montes non fulmine, ſed ſolo veritatis fulgore diſijciam. Quo fiet, vt non modo vndique tecta ſit apologia, ſed par etiam pari referatur; & qui Venetam PETRI BEMBI hiſtoriam damnauit, eius fabulæ de

magnitu-

magnitudine Romana explobatur, Vrbe ipſa, vt ſpero, fauente, de cuius gloria plurimum detrahitur, cum laudatur falſo. Hæc ſcripſeram Lipſio ſuperſtite, cum nihil mihi eſſet optatius, quam ne quid illi humanitus accideret, antequam hi libri ederentur. primum ne cui forte ſermones darem de me; citare Lipſum, cum ſiſtere ſe, & reſpondere vadato non poſſet: quocum viuo congredi auſus non eſſem, cum eo mortuo laruarum more luctari. deinde vt ſummum virum, qui multo ante, quæ vocarem in controuerſiam, eſſet meditatus, ſecumque animo peregiſſet, non imparatum haberem aduerſarium, atque ita citius e cōflictu noſtro ſcintillæ veritatis emicarent. Conflictum dixi, litterarium tamen, in quo, vt homines decet honeſto loco natos, & litteris informatos ad humanitatem, ſolis rationum, ac teſtimoniorum momētis nos confodiſſemus. Sed cum MARCVS VELSERVS II. Vir Auguſtanus nobilitate, dignitatis gradu, & eruditione illuſtriſſimus ſcripſiſſet ad me vixiſſe Lipſium, ita ſum commotus, vt haſtas, quod aiunt, abiecerim, & hunc ipſum libellum, qui in eo iam erat, vt imprimeretur, librarijs extorſerim. Et tamen denuo non modo amicorum, ſed virorum etiam grauiſſimorum auctoritas me adduxit, vt eum edi paterer. Ita enim diſputabant. vnam eandemque eſſe nunc, & fuiſſe olim cauſſam veritatis: imo eo nunc deteriorem, quod quæ damnari potuiſſent a Lipſio ſuperſtite, quaſi ſancita eius morte, in hominum animis altiores in dies agerent radices. Has nemo ſi euelleret, ne pugnare cum mortuo videretur, quam eſſe veritati emergendi vnquam reliquam ſpem? Turpius eam mortuo, quam viuo proditum iri. Neque deterritum hac religionem eum ipſum, quo de ageremus, quin triſtem in Bembum cenſuram exerceret. Quid igitur me ipſe morarer, ac ne Lipſij quidem veſtigijs auderem inſiſtere? Aeternam aduerſus falſum, & libros, quibus proditur, eſſe au-

ctoritatem.

ctoritatem. Quod erat facturus, ſi licuiſſet, Lipſius, vt ſcripta ſua purgaret, id ego ſi facerem publico bono, optionis potius, quam hoſtis munere fungerer. Sed & habiturum gratiam, ſi ſentiat, excoqui à me, quod in auro ſuo eſt, purgamentorum ac ſordium. Neque eſſe verendum, ne viri prudentes apologiæ ſecurum fucum facere. & inſultare in mortuum audacius me putent. Neque enim cum Lipſio actum eſſe tam male, vt non egregios diſciplinæ ſuæ alumnos reliquerit, qui, quo par eſt, animo doctoris decreta, & memoriam colant. Hi certatim ne pro magiſtro vadimonium obeant, neu multi in me pro vno cooriantur, id vero eſſe verendum. Quis enim repreſſos præclaros illos impetus, aut reſtinctum credat ardorem animorum, quem præ ſe tulerunt, cum eſt Lipſius à Lampugnano petitus? Scire me, quam multi ſint eius patrocinium profeſſi per id tempus, ſiquidem ipſe aduerſarium contemnere, nec reſponſo dignari inſtituiſſet. Nec defore, qui nullis obſtricti grati animi vinculis, ſi minus pro Lipſio, at pro veritate meo exemplo omnē dimicationem ſubeundā, meq; amice monitum ingenti beneficio ſibi obſtringendū putent. Quod igit̄ Lipſius vixiſſet, id minus nemini, q̃ mihi ipſi cōducere, cui ſoli cū ſolo cōgrediendi ſpe erepta multo acrior cū pluribus immineret pugna. Si Lipſij ſententiam in diſquiſitionem vocarem, facturum me item vt Cadmum, qui ſatis mortui draconis dentibus, armatas acies in ſe vidiſſet inſurgere. Sed illi ceſſiſſe proſpere, quod in ſeipſas ferrum conuertiſſent: mecum bene actum iri, ſi pauci in me conſpirarint. Licere mihi defugere hanc pugnam, ſi male odiſſe Lipſium, videri velim. Nam futuros, qui hoc ſibi perſuadeant, ſi eo rebus humanis exempto arma poſuero, perinde ac ſi mihi eſſet ereptus; in quibus autem lapſus eſt humanitus, quorum odium præ me ſemper tuli, ea ſerpere in dies longius ſiuero. His illi cum me obtudiſſent,

eo tandem perpulerunt, vt dicerem, fore me in eorum poteſtate; quin ſi hæc probari viderem viris doctis, reliqua etiam, in quibus à Lipſio diſſentio, eſſe editurum. Aleam igitur, quam dicunt, iacio, atque hoc de frumentatione commentario liberare incipio fidem meam. In eo cœpi non omnia perſequendi conſilium, ſed ea tantum, quę aut cenſura, aut luce indigebunt. Hoc volui primum, neſcius lector ne eſſet, quem præterea monitum volo, ſæpe fore, vt iiſdem vtar ſcriptorum veterum locis, quos attulit Lipſius: aut quia ſunt eiuſmodi, vt cum magis idonei nulli reperiantur ad hanc rem illuſtrandam, ſine illis manca, & mutila ſit diſputatio: aut quia poſſunt retorqueri in Lipſium, & ad eum confutandum adhiberi: aut quia in illis examinandis eſt non paruus diligentię meæ relictus locus. Vt igitur Attici, Strabone teſte, quas veteres fabri negligentius excoxerant, maſſas recoquendo grande operæpretium fecerunt: ita ſpero fore, vt ex veterum locis, quos attulit Lipſius, denuo examinatis, multa eruantur, quæ ipſe præterijt, aut quę ipſum præterierunt. Sed verborum iam ſatis eſt, ad rem ipſam veniamus.

De origine, & progreſſione frumentariæ largitionis, dum fuit arbitraria. Cap. I:

FRumenti largitio, quam frumentationem etiam dixere, quid veteribus fuerit, nomen ipſum ſatis indicare non poteſt. Nã & largiendi ratio vna atque altera, & frumenti genera multa fuerunt. Donare non modo is dicitur, qui gratis dat; verum etiam qui ex pretio aliquid detrahit. Quin vetuſtiſſimum hoc fuiſſe largitionis genus fatebitur, qui eius tempora diligenter obſeruarit. Principio enim Senatus, & magiſtratuum arbitrio

bitrio frumentum datum eſt leuiſſimo pretio in modios æſtimatum: largitio deinde ſancita eſt legibus, quarum poſtrema gratis primum dedit. Hæc arriſit Imperatoribus, & habita inter imperij fundamenta diurno tandem pane mutata eſt. Frumentationis autem nomen nonniſi poſt latas leges, vt mihi quidem videtur, vſurpari cœptum, Auguſti præſertim æuo celebratum eſt. Largitio enim rara & incerta, & quandam retinens venditionis ſpeciem nouum nomen nullum deſiderauit. At ſtatam, & multo, quam ſolitum eſſet, frequentiorem, ad plures pertinentem, & quod caput eſt, plerunque gratuitam ſuo vocabulo ſæpius appellatam eſſe, quis neget? ſed miſſis nominibus, quatuor, quæ propoſuimus, largitionis tempora ſigillatim perſequamur. Ante omnia origo & initium indagandum eſt. qua in parte agit Lipſius ſane liberaliter: cum ad vnum, & alterum aliquot annorum ſpatio dirempta digitum intendat. Nam Senatum ſtatim poſt reges exactos ex Liuio lib. II. largitionis huius auctorem facit anno V. C. CCXLVI. Idem Plinium ſequutus lib. XVIII. hanc M. Marcio Aedili laudem tribuit, qui poſt annum V. C. CCLX. ædilitatem geſſit. Quo fit, vt inter vtrumque initium anni minimum XV. intercedant. Scilicet vt quædam flumina, ita frumentaria largitio à duobus diuerſis fontibus, & capitibus manat. Quod mihi tamen longe ſecus videtur, qui duorum initiorum falſum vnum, dubium & incertum eſſe alterũ autumo. Falſum Liuianum: ita enim ſane appellemus; quanquam de eo Liuius, vt mea fert opinio, ne cogitauit quidem, cum illa ſcriberet. *Multa blandimenta plebi per id tempus ab Senatu data. annonæ inprimis habita cura; & ad frumentum comparandum miſsi alij in Volſcos, alij Cumas.* (Nam quod legit Lipſius, *Aequos*, adulterinum proculdubio eſt.) Quid eum adduxerit, de largitione vt hic actum putaret, facile quiuis coniectura aſſequatur. Nam I.

& blandimentum vocatur à Liuio annonæ cura; & in eorum,quę largitiones proculdubio fuerunt, numerum refertur : ſalis leuiore pretio publice dati, portorijs quoque ac tributis plebis liberatæ, quæ Halicarnaſſeo etiam lib. V. δημοτικὰ popularia, & φιλάνθρωπα πρὸς τοὺς πένητας benigne, atque humaniter populo præſtita videntur. Veruntamen quæ contra dici poſſint, non modo plura, ſed etiam grauiora ſunt. Vt enim ſi omnes ad vnam largitiones eſſe blandimenta quis velit, ei ego admodũ non repugnarim:ita blandimenta omnia eſſe largitiones,neq; ego, nec ſanus quiſquam dederit. Neque enim retro res commeat; cum duorum,quæ inter ſe comparãtur, pateat alterum latius; hoc generis, illud formæ obtineat locum. Quam multi enim ſunt,qui verbis aut factis blandientes nihil largiantur? Qui vero aſtipulari Lipſio videtur Halicarn: is aperte aduerſatur, cum largitiones ab annonæ cura,ſcriptione, temporibuſque diſcernit. Prodito enim plebem leuatam eſſe tributis,ac vectigalibus, quanquam proprius ille erat de largitionibus agendi locus,de annona tamen ne verbum quidem, niſi poſt interiectam bene longam,& multis verſibus explicatam rerum obſeſſa iam vrbe geſtarum narrationem;ſatis vt indicet,neque hanc ſibi largitionem videri, neque ijs aſſentiri, qui proderent,miſſos antequam vrbs obſideretur, in Volſcos & Cumas,qui frumentum ad vrbem conuehendum curarent. Quamquam vtrum ante, an poſt obſidionem ſint miſſi, ad ſuſceptam diſputationem quod attinet,haud in magno equidem ponam diſcrimine. Liuium ſequamur : ſint antea miſſi. Quid eſt? Vtrum ij tantum blandiuntur, qui populum donant frumento,an etiam qui annonæ habent curam? Sane hanc vberem vbique ples cupit: fame autem prope in furorem, rabiemque agitur. Vt enim ait apud Liuium Scipio, *fames vltimum humanorum ſuppliciũ eſt*. Quod ſi quicunque annonæ habent curam, vt blandiantur

diantur plebi, largiri cenſendi ſunt; dici vix poterit, quam multæ ſint vrbes, quæ nec opinato largiantur. Vnæ olim è Græcis omnibus Athenæ, Venetiæ nunc ex Italicis frumento plurimo vtuntnr importato. Qui ex eo conficiat viguiſſe, aut vigere vtrobique frumentarias largitiones, quis eum ſibi audiendum putet? Non igitur ſi frumentaria procuratio ſuſcepta Romæ eſt à Senatu, atque opera data, vt magna eſſet in vrbe annonæ copia, continuo verum eſt, frumentum plebi, aut plane donatum, aut minoris, quam quanti erat, diuiſum. His bellum accedit, imminensque ab Etruſcis vrbi obſidio, quæ vel vna patres, ſi quid ſaperent, ad habendam annonæ curam potuit adducere: ne plebs cum vaſtari agros, ardere tecta, omnia extra vrbem ferri, agique; vrbem ipſam vexari videret, ad regum obſequium rediret feſſa tot malis, quibus ſi fames accederet, ne dij quidem, vt eſt apud Liuiũ, ſeruare vrbem poſſent. *Superantur enim*, vt eſt apud eundem lib. V. *humana omnia mala: famem vnam natura vinci non ſinit*. Quamobrem Fidenates quoque bello cum Romanis ſuſcepto, ne obſidione cogi ad deditionem poſſent, frumentum non neceſſitati modo ſatis, ſed copiæ quoque abunde conuexerunt. Et Faliſcis à Camillo obſeſſis terebatur tempus neutro inclinata ſpe, cum frumẽtum ex ante conuecto large ſuppeteret, vt Liuius ipſe cuius teſtimonio in re alioqui clara & aperta vti operę eſt, vt controuerſus locus illuſtretur, prodit lib. IV. & V. Vtrũ igitur Fidenates quoque, & Faliſcos, an ne Romanos quidem eſſe largitos dicemus? Sed & mirari profiteor me prudentiam patrum, ſi in tantis anguſtijs publicum frumentum ad vltimum inopiæ reſeruandum, ſtulta indulgentia, vrbe nondũ obſeſſa, populo diuiſerunt. Quod ſi quis miſſos dicat per id tempus, qui compararent; largitionem aliquanto poſt eſſe factam: eum ego Liuianis de eodem bello verbis confutabo. *Obſidio erat nihilomi-*

nus,

nus, & frumenti cum ſumma caritate inopia. Nam ſi frumentum publice eſt diuiſum, quæ inopia; ſi donatum, quæ eſſe caritas potuit? Quo conſilio Senatus frumentum emenſus, & largitus eſt, niſi vt inopiam & caritatem leuaret? ſumma vtraque fuit: largitio igitur nulla. Qui autem de hac fame quæ ab Halicarn. ſcripta ſunt, legerit, non dubito, quin mihi aſſentiatur. Amplius CCC. hominum M. in vrbe obſeſſa acri annona fatigabantur: ante obſidionem frumenti haud ita multum erat conuectum, & breui abſumptum: hoſtes circum tenebant omnia, & illatus ex agro Pometino commeatus ad paucorum dierum vſum vix eos fefellerat. I nunc, & largitionem factam crede, vbi ne erat quidem, quod largirentur. Vnum adhuc ſi addidero ad alterum me initium conuertam. Traditus ab antiquis vſque ad Liuij ætatem inter cetera ſolemnia mos manſit, bonis vendendis, bona Porſenæ regis vendendi: de cuius origine moris hæc Liuius. *Proximum vero eſt ex ijs, quæ traduntur, Porſenam diſcedentem ab Ianiculo, caſtra opulenta, conuecto ex propinquis atq; fertilibus Etruriæ aruis commeatu, Romanis dono dediſſe, inopi tum vrbe ab longinqua obſidione: ea deinde ne populo immiſſo diriperentur hoſtiliter, veniſſe, bonaq; Porſenæ appellata.* Hanc ipſam auctionem Halicarnaſſeus hiſtoriarum ſuarum monimentis mandauit Qui igitur haſta poſita Porſenæ bona fortuito oblata, & populo R. donata ſubiecere præconis voci, eos putabimus, quæ ære ſibi ſuo ac libra empta eſſent, donaſſe? Ad alterum iam initium veniamus, quod notaſſe videtur Plinius lib. XVIII. cap. III. his verbis. *M. Marcius ædilis pl. primum frumentum populo in modios aſſibus donauit.* Id mihi initium non tam falſum, quam dubium videri pronunciaui. Neque enim conſtat fuerit M. Marcius ædilis primus Romæ, necne fuerit. Si fuit, aſſentior Lipſio, atque hanc primam largitionem ſtatuo: ſin minus, negari non poteſt, Senatum hanc reliquis omnibus

nibus laudem præripuiſſe. Nam altero ab Aedilibus creatis anno, gerētibus eum magiſtratū Sicinio, & Bruto, Senatus in sūma annonę caritate, & pecuniæ inopia frumētum leuiſſimo pretio æſtimatum populo diuiſit. Quod vt clarius ſit, atque apertius operæpretium me facturum arbitror, ſi tempora, quæque his geſta ſunt, propoſuero, non ad corruptam, qua Liuius, atque Halicarnaſſeus, ſed ab integram, qua Cicero vtitur, annorum computandorum rationem exacta, quæ magna etiam, ni fallor, hanc Romanæ hiſtoriæ partem luce perfundet. Anno igitur ab V. C. CCLIX. à regibus exactis, vt Ciceronem pro Cornelio ſequutus, fauente Deo, aliàs docebo, XV. Vetuſius, & Virginius, quo menſe incertum, ſed vt ex Halicarnaſſei lib. VI. intelligitur poſt Kal. Sept. conſulatum inierunt.

Anno V. C. CCLX. à regibus exactis XVI. Vetuſius & Virginius continuarunt ad Kal. Sept.

Kalendis Septembribus Caſſius, & Cominius Coſſ. Halicarnaſſeus lib. VI.

Septembri extremo ſeceſſio plebiſ. Halic. lib. VII. initio: vt fallatur Liuius, qui Caſſium, & Cominium per ſeceſſionem plebis iniſſe tradit.

Decembri menſe plebs in vrbem redijt.

IV. Idus Decembris Tribuni & Aediles pl. primum creati. Tribunorum nomina extant, Aedilium intercidere.

Anno V.C. CCLXI. à regibus exactis XVII. ad Kal. Sept. Caſſius & Cominius Coſſ.

Kal. Sept. conſulatum ineunt Geganius, & Minucius. His conſulibus Liuius lib. II. & Halicarn. lib. VII. famem cœpiſſe volunt ex incultis ſuperiore autumno per ſeceſſionem plebis agris. quamobrem conſules prouiderunt dimiſſis paſſim ad frumentum coemendum, non in Etruriā modo, Volſcos, & Cumas, ſed quęſitum in Sicilia quoque Cumis naues retentæ: in Volſcis ne emi quidem potuit:

legati

legati in Siciliam miſſi vere inſequenti,quam Attico more Halicarn:æſtatem vocat,rediere magna frumenti vi aduecta,quam partim emeranr,partim à Gelone Syracuſarum tyranno dono acceperant. fames igitur continuat in annum inſequentem. In hunc Marcij,ſi primus ædilis fuit,largitio incurrit.

IV. Idus Decembris Aediles Sicinius & Brutus. Icilius enim qui in Halicarn. hiſtoria Bruto iungitur, eo, qui ſequitur anno ædilitatem geſſit,Sicinio tribuno pl. II. Anno V. C. CCLXII. à regibus exactis XVIII. ad Kalen. Sept. Coſſ.Geganius,& Minucius,quibus Coſſ. vt primũ ver mare aperuit,redijſſe legatos in Siciliam miſſos credere par eſt,niſi ſi quam patricij fraudem commiſerunt. Agitatum igitur in Senatu, quãti frumentum plebi daretur. Erant,qui partim donandum, partim vendendum putarent, idq́ue plebs exſpectabat. ſed Marcius Coriolanus tribunitiæ poteſtatis hoſtis acerrimus qui contra ſentiebant, obiurgando negauit laxandam annonam, cui Senatus frequens ambitione, atque auaritia corruptus aſſenſus eſt. Quamobrem ei tribuni diem dixerunr. Plebs ira exarſerat,neque erat obſcurum ſuffragio vlturam dolorem ſuum. Patres igitur vt Marcium eriperent, ſeq́ue ac potentiam ſuam ſartam tectam aduerſus creſcentem in dies plebis impotentiam tuerentur, omni ope, atque opera eniſi ſunt. Inter cetera lenimenta factum eſt S.C. vt frumentum, & res omnes ad victum neceſſariæ tanti eſſent,quanti minimi fuiſſent ante ſeditionem. Auctores Liuius lib.II. Halicarn.lib.VII. Plutarchus in Coriolano. Frumentum gratis vt darent in tanto diſcrimine à patribus impetrari non potuit; nec de ea re plebs laborauit. Quin pecuniam acceptam pro frumento Siculo Caſſij rogatione ſibi retribui recuſauit. qua de re Liuius lib. II. in actis anni CCLXVI. hæc habet. *Caſſius vt ſibi reconciliaret ciuium animos, iubere pro Siculo frumento pecuniam acceptam*

acceptam retribui populo. id vero haud ſecus, quam præſentem mercedem regni aſpernata plebs. Hæc ſatis docent, quanta morum poſtea facta ſit labes: cum riuus hic tantis auctus ſit tribunitijs largitionibus, vt earum molem ærarium vix ferret; & diſſipato Reip. patrimonio pretium etiam leuiſſimum ad ineundam a plebe gratiam remitteretur. Hanc igitur primam reperio certam, & minime dubiam in Romana hiſtoria frumenti largitionem. De Marciana quid ſtatuam, non habeo. Si primus Romæ ædilis Marcius fuit, anno ante ſuperiorem facta eſt; & quidem non multo poſt initam ædilitatem. Cum enim circa brumam iniſſet, æſtate fame laboratum eſt. Sed Marcium primum hoc onore eſſe perfunctum velim mihi certa aliqua, & bene firma ratione perſuaderi. Vt vt eſt, Plinij, quem recitaui, locus adeo emendatione non eget, vt ſi quis PRIMVS cum Lipſio II.
legat, non PRIMVM. vt eſt in vulgatis codicibus, locum proculdubio corrumpat, quæcumque tandem eius ſententia eſt. nam multæ eſſe poſſunt. Non conſtat, vtrum pretij ratio habeatur, vt hoc dicat Plinius à Marcio frumentum in modios aſſibus primum donatum; an magiſtratus, ita vt ante eum nemo ædilis dederit; an repetiti honoris, vt quemadmodum Sicinius iterum tribunatum, ita Marcius ædilitatem geſſerit; an largitionis, ita vt prima hæc fuerit. Lipſius reliquas ſententias diſſimulat, probat poſtremam, atque vt ſola videatur, emendat. Mihi prima ijs, quæ proxime ſcripta erant a Plinio, ad quæ confirmanda Marcij exemplo erat vſus, magis conſentanea & conueniens videtur. *Iis moribus non modo ſufficiebant fruges, verum etiam annonæ vtilitas incredibilis erat.* fateor, qui ſiue pretium ſiue magiſtratum ſignificari hic putet, nihil intereſſe, vtrum is PRIMVS an PRIMVM legat: ſed fatendum illud quoque eſt, cauſſam Lipſio, cur quidquam mutaret, non fuiſſe, ne ſi de-

C mus

mus quidem eam eſſe, quam vult, loci huius ſententiam. alioqui cum alij ſexcenti; tum ille eſſet reſcribendus è lib. XV. Cap. XXV. *Ceraſi ante victoriam Mithridaticam L.Luculli non fuere in Italia. is primum inuexit è Ponto.* Quid ſi Plinius *primum* dicere, quam *Primus* maluit, ad ambiguitatem vitandam, ne quis forte Marcium primum ædilem plebis putaret? Sic igitur ſtatuo, eſſe emendandi genus vetuſtis auctoribus in primis perniciosum, quo tollitur verbum, cuius multæ eſſe notiones poſſunt, & ſupponitur alterum, cuius vis pertinet ad pauciora. Quod ſi ideo conſilio fiat, vt vnum tantum ſignificet, ferendum non eſſe, ne ſi conſtet quidem, idipſum ſcriptorem dicere. Sed nimis diu hæſi in his duabus largitionibus. Tertius L.Minucio Augurino deberi videtur locus, quem tradit Liuius lib. IV. fame vrbem premente præfectum annonæ extra ordinem creatum, in eo magiſtratu frumentum aſſibus in modios æſtimatum plebi diuiſiſſe. Coemerat id frumentum Sp.Mælius priuata pecunia ad largitiones faciendas, vt delinita hoc munere plebe, regnum, quod affectabat, facilius occuparet. Sed eo oppreſſo necdum maturis conſilijs, vna cum reliquis bonis fuerat publicatum. De eadem re Plinius lib. XIIX. cap. III. *Minucius Augurinus, qui Sp. Mælium coarguerat, farris pretium trinis nundinis ad aſſem redegit.* quod ita accipio, vt L.Minucius frumentum Mælianum aſſibus in modios vænale proponendo, adeo pretium eius imminuerit, vt breui tantidem in foro proſtaret. Nec quemquam commoueat, quod Plinius far dicit, Liuius frumentum. Late enim patet frumenti nomen; triticum, milium, far, hordeum complectitur, vno verbo omnes fruges, quæ legumina non ſunt: vt ex Theophraſto docet Plinius lib. XVIII. Cap. VII. & poteſt ex Liuij, & Halicarnaſſei locis inter ſe collatis intelligi. Quod enim ſcribit Liuius lib. II. anno ab V. C. CCLXIII. ex Etru-

ſcis

ſcis frumentum Tiberi veniſſe, id aperte prodit Dionyſius lib. VII. fuiſſe milium & far: cum initio eius libri miſſos tradat legatos in Etruriam *σῖτον, ὅσον ἂν δύναιντο πλεῖστον ὀνησομένους. ad frumenti vim, quantam maximam poſſent, comparandam:* & alibi eorum munus appellet *σιτωνίαν frumenti emptionem*. Ex quibus perſpici poteſt *σίτου* nomine à Græcis, & frumenti à Latinis non triticum modo ſiue *πυρὸν*, ſed multas præterea fruges, & inter eas far ſignificari. Id in tanto erat vſu apud Etruſcos, vt magnam eius vim ſuppeditare vicinis poſſent. & Plinio teſte lib. XVIII. Cap. VII. *farre tantum e frumento*, id eſt ex omnibus frumenti generibus *trecentis annis vſos Romanos Verrius tradidit*. Neque tamen fuiſſe hoc Mælianum proprie far certo affirmarim: quippe qui ſciam veteres ſcriptores non raro triticum ſignificare hoc nomine; poetas præſertim, quorum ſunt illa de ſeruorum dimenſo

Quorum animas & farre ſuo cuſtodit, & ære

& de libertis frumento donatis

—— vt quiſque Velina
Publius emeruit, ſcabroſum teſſerula far
Poſſidet

quæ cum ſcripta ſunt, frumentum proculdubio eſt diſtributum. Præterea incurrit Augurini largitio in annum V.C. CCCXIV. cum P.R. cœperat iam vti alijs frugibus. Veruntamen vſos Romanos diutius farre conſtat ex ea largitione, quæ facta eſt M. Manlio, cum Gallos Capitolium occupantes deiecit. Liuius in actis anni CCCLXV. *vniuerſi ſelibras farris, & quartarios vini ad ædes eius, quæ in arce erant, contulerunt*. Auctor quoque de viris illuſtribus farre donatum prodit. Plutarchus in Camillo quid ſibi voluerit, neſcio, cum illa ſcriberet, ſi tamen ita ſcripſit; collata Mālio a ſingulis *σίτου μὲν ἡμίλιτρον ἐπιχωρίου, οὕτω γὰρ καλοῦσιν αὐτόν. οἴνου δὲ κοτύλης ἑλληνικῆς*

τέταρτον. *frumenti ſelibram vernaculi (ſic enim vocant) & vini cotylæ Græcanicæ quartarium*. Si enim ita ſcripſit, notandum eſt, *frumenti vernaculi* nomine ſignificari ſolitum far. Sin verba illa mendoſa ſunt, videndum, vbi lateat vitium. Ego rem malo in medio relinquere, quam temere quoquam progredi. Vſus autem Romanos, vt dicere cœperam, farre vna cum alijs frugibus poſt annum ab V. C. trecenteſimum docet iterum Liuius lib. VII. in actis anni CCCCXII. nam militibus, qui cum Decio in expeditione fuerant, *legiones libras farris, & ſextarios vini contulerunt*. Sequitur apud Plinium Trebij largitio, qui, vt ſuperiores populo frumentum aſſibus in modios præſtitit. Quamquam autem huius largitionis obſcura ſunt tempora, cum eam Liuius prætereat, vt Marcianam, & ſcripta Dionyſij non tulerint ætatem, ordo tamen, quo commemoratur a Plinio, vt pretij leuitas faciunt, vt credam, hanc ante eas factam fuiſſe, de quibus mox dicam. Nam reliqui ædiles multo pluris in maxima annonæ vilitate frumentum populo admenſi ſunt cum ſumma gratia. Teſtis Liuius lib. XXX. anno V C. D L. *Magnam vim frumenti ex Hiſpania miſſam M. Valerius Falto, & M. Fabius Buteo ædiles curules quaternis æris vicatim populo deſcripſerunt*. Cum tamen anno ſuperiore, quo Mater Deum aduecta Romam fuerat, Plinio teſte, Italia tantam frugum copiam tuliſſet, vt maior ea æſtate, quam antecedentibus annis decem fieret vtilitas annonæ. Biennio poſt, eodem Liuio auctore lib. XXXI. *L. Valerius Flaccus, & L. Flamininus frumenti vim ingentem, quod ex Africa P. Scipio* (ita malo legere, quam cum Lipſio, Proconſul) *miſerat, quaternis æris populo cum ſumma fide, & gratia diuiſerunt*. Anno tamen inſequenti V.C. IↃLIII. & rurſus IↃLVII. dimidio minoris, id eſt binis æris frumentum populo diuiſum eſt. Liuius lib. XXXI. extremo. *Frumenti vim magnam ex Africa aduectam*

uectam ædiles curules M. Claudius Marcellus, & Sex. Aurelius Pætus binis æris in modios populo diuiſerunt. & lib. XXXIII. *Aediles curules M. Fuluius Nobilior, & L. Flaminius tritici decies centum millia binis æris populo diuiſerunt. Id C Flaminij honoris cauſſa, ipſius patriſq; aduexerant Siculi Romam. Flaminius eius gratiam communicauerat cum collega*. Aut aliquam ſuperiorum, aut aliam eiuſmodi largitionem ſignificat, vt opinor, Plutarchus in Catone Maiore illis verbis, Μέλλων ποτὲ τῶν Ρωμαίων δῆμον ὁρμημένον ἀκαίρως ἐπὶ σιτομετρίας, καὶ διανομὰς ἀποτρέπειν, ἤρξατο τῶν λόγων οὕτως. χαλεπὸν μὲν ἐστιν ὦ πολῖται πρὸς γαστέρα λέγειν ὦτα οὐκ ἔχουσαν. *Populum Romanum importune ad frumentarias largitiones ruentem vt auerteret, ita exorſus eſt. Difficile eſt, Quirites, ad vẽtrem aurium expertem verba facere.* Quanquam idem Plutarchus ad aliud tempus atque occaſionem hoc ipſum Catonis dictum accommodare videtur in Apophthegmatibus. Κάτων ὁ πρεσβύτερος ἐν τῷ δήμῳ τῆς ἀσωτίας καὶ πολυτελίας καθαπτόμενος εἶπεν. ὡς χαλεπόν ἐστιν λέγειν πρὸς γαστέρα ὦτα μὴ ἔχουσαν. *Cato maior ad populum agens cum luxuriam & profuſos ſumptus perſtringeret, dixit. Quam difficile eſt verba facere ad ventrem, qui auribus caret*. Fieri ſane poteſt, vt hoc dictum ſemel & iterum vſurparit Cato; ſed veri etiam ſimile eſt, eandem orationem vtrobique a Plutarcho eſſe ſignificatam. Nam luxus temperantia, immanes ſumptus parcimonia ni fuiſſent potiores, nihil erat, cur vellent frumentum ſibi publice ſuppeditari. Fortaſſe igitur illud orationis exordium fuit, hoc argumentum. Atque hæ ſunt largitiones, quas inuenio factas, antequam vllæ de eis ferrentur leges. Poſt eas latas obſeruaui M. Seium ædilem curulem ad ineundam a populo gratiam reuocaſſe longo interuallo veterem annonæ vtilitatem de ſuo. Cicero in I I. de officjs. *Ne M. quidem Seio vitio datum eſt, quod in caritate annonæ aſſe modium populo dedit*. Hic il-

le

le eſt M. Seius L. F. qui *olei* quoque *denas libras*, rem hoc æuo prope incredibilem, *ſingulis aſsibus præſtitis P. R. per totum annum*, vt eſt apud Plinium lib. XV. Cap. I. Incurrunt Seianæ largitiones in annum V. C. IↃCLXXIX. qui Plinio eſt IↃCXXC. Neque vero Senatus modo aut Magiſtratus frumentum donarunt, verum etiam priuati, præſertim teſtamento, vt ſuſpicari licet ex Horatio lib. II. Satyra III.

Hæredes StaterI ſummam incidere ſepulcro.
Ni ſic feciſſent, gladiatorum dare centum
Damnati populo paria, atque epulum arbitrio ArrI;
Frumenti, quantum metit Africa.

Sed vt ad publicas largitiones redeam, non dubito, quin multæ fuerint omiſſæ à Liuio & Plinio, quarum memoria ſi extaret, haud paullo eſſent hæ, quas recenſuimus, clariores atque illuſtriores. Ex his tamen intelligere licet, curationem annonæ, eiusque populo diſtribuendæ munus ab Aedilibus plebis ad curules, eſſe translatum: pretium auctum, & imminutum pro frumenti copia; hoc diſtributum eo ſæculo vicatim, vt oleum aliquando Liuio teſte lib. XXV. Frumentarias prouincias fuiſſe per ea tempora Hiſpaniam, Africam, Siciliam. Poſtremus autem Liuij locus e libro XXXIII. excitat nos ad quærendum, quamobrem cum Falto & Buteo, Flaccus & Flamininus, Marcellus & Pætus, Nobilior & Flaminius parem gloriam & famam tulerint ex diuiſione frumenti, celebrentur Marcius & Trebius, collegæ autem vtriuſque nulla relata a ſcriptoribus gratia, nec nomen poſteritati ſit propagatum. An Marcij vnius, vel Trebij cura fuit importatum frumentum, neque communicata eius gratia cum collega? an hi largiti ſunt collegis aut inconſultis, aut repugnantibus? An ſolis aut S. C. aut ſortito obtigit munus diuidendi? An ipſi id ſunt aſſequuti, quod tanto poſt Cæſar, cum eſſet ædilis, Bibulo collega, Dio-

ne

ne lib. XXXVII. & Suetonio Cap.X. auctoribus, *vt communium impenſarum ſolus gratiam caperet, nec diſſimularet collega eius M. Bibulus eueniſſe ſibi, quod Polluci. Vt enim geminis fratribus ades in foro conſtituta, tantum Caſtoris vocaretur: ita ſuam Cæſarisq́; munificentiam vnius Cæſaris dici.* Nihil habeo, quod affirmem. Vera enim cauſſa, niſi res tota a ſcriptoribus manat, quæcunq; demum eſt, in obſcuro eſt.

Leges de frumentaria largitione.
Caput II.

DE arbitrarijs largitionibus hactenus; iam de ijs dicam, quæ ſancitæ ſunt legibus ad perpetuitatem. quamquam his quoque modo fixis, modo refixis, largitiones vna vſque eo fluctuarunt, dum venit Reſpub. in vnius poteſtatem, qui gratuita annona bene emi imperium putaret. Hæ leges vno a pleriſq; omnibus nomine dici ſolent frumētariæ, a Cœlio epiſt. VI. libri XVIII. inter Ciceronianas ad familiares, alimentariæ appellantur; ab Aſconio in Piſonianam annonianæ, ſiue, vt placet viris eruditiſſimis, annonariæ. Græci *σιτικοὺς νόμους*, & frumentationem *σιτηρέσιον* appellant. Sed & alterum habent, vt reliquæ omnes, a latoribus nomen; qui plurimum fuere Tribuni plebis, aliquando Coſſ. ſemel autem longo interuallo factum eſt de ea re S.C. Primus de ſtata perpetuaque frumentatione legem tulit C. Sempronius Gracchus anno V. C. DCXXX. in primo tribunatu. Plutarchus in Gracchis. *τῶν νόμων, οὓς εἰσέφερε τῷ δήμῳ χαριζόμενος, ὁ μὲν σιτικὸς, ἐπευωνίζων τοῖς πένησι τὴν ἀγοράν. Quas in populi gratiam leges promulgabat, earum vna fuit frumentaria, qua pauperibus frumen-*

ti

ti pretium minuebatur. Quibus verbis & pretium aliquod publico frumento dictum ſignificat, & lege proſpectum turbæ ſolum pauperiorum, cuius gratiam lator aucupabatur. Alter locus vna illa re minus ſimilis loci ſuperioris, quod pretium exponit, eſt in Epitome L X. *C. Gracchus trib. pl. pernitioſas aliquas leges tulit inter quas frumentariam, vt ſemiſſe & triente frumentum plebi daretur.* Semiſſe & triente dicit, quod alij ſemiſſibus ac trientibus(tot enim modis veteres loquutos volunt)quod animaduertendum eſt diligenter, ne quem forte inducāt, qui ſemis æris ac trientibus frumentum datum in modios affirmant: aut qui pretium fuiſſe tradunt ſenos æris trientes, ideſt binos aſſes, corrupta ſequuti Pædiani exemplaria in Piſonianam: aut qui frumentum diſtributum putant plebi vrbanæ modo ſemiſſibus, modo treſſibus, duplici errore. Nam & ex vno duo faciunt pretia, & ex trientibus treſſes, ideſt ex tertia aſſis parte tres aſſes; cum reuera frumentum ne aſſe quidem vænierit, ſed ſemiſſe ac triente, ideſt dextante, ſeu mauis apertius, decem e duodecim aſſis partibus. Quid autem cauſſæ eſſe dicemus, cur veteres auctores ſemiſſis ac trientis nomina vſurpare, quam dextantis maluerint cum tamen idem vna hac voce ſignificetur, quod illis duabus? An hæc verba ſunt ipſius legis? Sed tamen quid Graccho venit in mentem illa malle? Dicerem hæc repetita a veterum conſuetudine, qui cum ære graui vterentur, & X II. aſſis, vel, quod idem erat, libræ partes haberent, ſex autem pondera; vnciam, ſextantem, quadrantem, trientem, ſemiſſem, ac libram, cum decem erant vnciæ expendendæ, ſemiſſem ac trientem conijciebant in lancem, vt citius negotium conficerent. hoc inquam dicerem, ſi quæ aſſis partes certum pondus non habebant ac ſuum, eas reperirem eadem ratione à veteribus expreſſas. Quando autem non reperio, ſuſpicor Gracchum reſpuiſſe par-

tes

tes aſſis minutiores, & lege frumenti pretium in modios non certam modo pecuniæ ſummam fuiſſe, verum etiam certum numi genus, ſemiſſes nimirum ac trientes, cum dextantes non cuderentur. De hac autem re lege cautum, vel ad leuandum quæſtorem moleſtia, vel ne permutanda pecunia tereretur tempus, vel alia de cauſſa, quæ æque mihi eſt ignota, atque eæ, quas attuli, dubiæ & incertæ. De hoc igitur amplius quærendum. Illud eſt exploratum & conſtat inter omnes frumentum hac lege gratis datum non fuiſſe. Vnus a reliquis diſſentire Lipſio videtur Appianus, cum ſcribit Gracchum σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσαι ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων *Frumentum menſtruum publica pecunia coemptum viritim populo conſtituiſſe*. Mihi tamen venit in mentem ſuſpicari, Appianum leuiſſimi illius pretij eam habuiſſe rationem, quam habuit Plinius, cum proderet M, Marcium populo frumentum in modios aſſibus donaſſe; & Florus, cum Lib. III. Cap. XIII. inopem populum vixiſſe ait ex ærario ſuo. Tanta enim largitio fuit, vt frumentum donatum potius dici mereatur, quam venditum: & vniuerſa hæc iactura pertinebat ad ærarium, quod aut fraudabatur pecunia, quæ redigi potuiſſet ex frumento vendito, aut exinaniebatur tanta ſumma deprompta, quanta opus eſſet ad illud coemendum. Hinc illa apud Ciceronem in Sextiana. *Frumentariam legem C. Gracchus ferebat, repugnabant boni, quod & ab induſtria plebem ad deſidiam auocari putabant, & ærarium exhauriri videbatur.* Et in II. de Officijs. *C. Gracchi frumentaria magna largitio fuit; exhauriebat igitur ærarium.* Et Tuſcul. III. *effudiſſe maximis largitionibus ærarium* dicitur. Quid eſt autem ærarium, niſi ipſa κοινὰ χρήματα Appiani? Extat apud Priſcianum lib. VIII. Orationis C. Gracchi fragmentum, quo grammaticus ille oſtendit, delargiri à veteribus patiendi ſignificatione eſſe prolatum. Gracchi verba hæc III.

D ſunt;

ſunt; *Aerarium delargitur P.R.* quæ verba ſi ex ea, qua rogationem hanc ſuaſit, oratione fuerunt, fortaſſe ad ita ſcribendum non modo Appiano, ſed Ciceroni etiam,& Floro Gracchus ipſe anſam dedit. Nec debuit Lipſio mirum id videri, cui mirum non accidit, ſcripſiſſe eundem hiſtoricum frumentum datum *ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν plebeio cuique* & Senecam lib. IV de beneficijs cap. XXVII. Frumentum accepiſſe omnes, quicunque ciues eſſent; cum tamen non omnes, Lipſio iudice acciperent. Vt igitur in multitudine Senecam, & alios; ſic in publico ſumptu eos, quos dixi, Appianus habuit auctores. Vt accepiſſe omnes dicuntur, quia plurimi acceperunt: ita largitio facta *ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων publico ſumptu*, quia tota fere impenſa fuit publica. Semproniam legem anno V.C.
IIII. DCXXXII. triennio poſt quam lata erat, Graccho interfecto, omnino autem multo ante conuulſam à Sylla tribunitiam poteſtatem, abrogatam fuiſſe certum eſt. Tres enim de eadem re promulgatæ ſunt leges ante Syllanam dominationem, vna etiam perlata. Primæ auctor ignoratur: ſed promulgatam C. Mario trib. pleb. accepimus. Is tribunatum inijt anno V.C. DCXXXIII. continuauit in annum DCXXXIV. auctor Plut. in eius vita. *Νόμου γὰρ εἰσφερομένου περὶ σίτου διανομῆς τοῖς πολίταις, ἐναντιωθεὶς ἐῤῥωμενέστατα, καὶ κρατήσας* &c. *Rogatione promulgata de frumento ciuibus diuidendo cum vehementiſſime interceßiſſet, peruiciſſetque ne ferretur.* Hoc, vt alia non pauca digna cognitu, in Liuianis Epitomis prætermiſſum eſt. Scriptum autem fuiſſe puto lib. LXII. Altera lex fuit Appuleia, quam ferre conatus eſt L. Appuleius Saturninus anno V.C. DCLIII. aut circiter, quæ quominus ferretur, impedimento fuit Cæpio quæſtor vrbanus, qui Senatum antea docuerat ærarium pati non poſſe tantam largitionem, vt eſt apud auctorem Rhet: ad Heren. lib. I. cui ſi hoc tantum nomine fides abrogatur, quod hoc ſolus

lus prodiderit memoriæ, lex ſancitur in veteres ſcriptores iniqua, & parum grati, vt libere dicam, aduerſus eos ſumus. Sane & conſtat ſcriptorem illum haurire ſolitum exempla ex hiſtorijs, & illi non leuiter ſuffragatur Florus, qui lib. III. cap. XVI. teſtatum reliquit, Saturninum Gracchanas leges aſſeruiſſe: & iterum, rogandis Gracchorum legibus vehementer incubuiſſe. vt appareat non modo Sempronias leges iam tum fuiſſe abrogatas, verum etiam ceteras vna cum frumentaria Saturninum referre conatum. Sed incubuit, opinor, præcipue in frumentariam, vt ignominiam deleret, qua fuerat affectus à Senatu, cum in annonæ caritate quæſtor Oſtienſis à ſua frumentaria procuratione amotus eſt, eique rei M. Scaurus præfectus, vt Cicero tradit in orationibus pro Sextio, & de haruſpicum reſponſis, in quibus affirmat, huius ignominiæ dolore Saturninum factum eſſe popularem. Tertia lex frumentaria ante Syllana tempora fuit Liuia, cuius auctor M. Liuius Druſus tribunatu ſuſcepto pro auctoritate Senatus, vt plebem adduceret in partes Optimatium, anno V.C. DCLXII. Semproniam largitionem reuocauit. Sed per vim lata, iuſſaque lex, Druſo eodem anno domi interfecto, abrogata eſt à Philippo, quem conſulem legi repugnantem tribunitius viator faucibus apprehenſum non ante dimiſerat, quam ſanguis in ora, atq; oculos redundaret. Florus Epit. LXXI. vbi diſerte latam legem tradit, & lib. III. cap. XVII. Aſconius in Cornelianam. A Druſi morte ſociale bellum ſtatim exarſit, id excepit ciuile, imo multa ciuilia, quæ tam exercitum habuere P.R. vt ne iniecta quidem à tribunis fuerit mentio vllius largitionis. Vt autem rebus compoſitis inijci non poſſet, fecit Sylla, qui cum inuaſiſſet Remp. tribunitiæ poteſtatis, adempto inter cetera omni iure legum ferendarum, neruos eliſit. Eo conſilio turbarum ac ſeditionum extinctæ ſunt faces, quæ tamen eo mortuo ſtatim re-

uixere,cum plebs niti cœpit, vt tribunitiá poteſtas in integrum reſtitueretur. Res fuit per multos annos magnis contentionibus fruſtra iactata conſulibus ſtrenue tuentibus S. C. quo acta Syllæ confirmabantur, contra plebe ſumma vi pugnante, ne ſpoliata præſidio tribunitio potentum libidini eſſet expoſita. Legatur de his turbis Marcij ſiue Macri ſiue M. Lepidi trib. pl. concio apud Saluſtiū in libri III. hiſtoriarum fragmentis. Obijt Sylla anno V.C. DCLXXV. eſt obuiam itum omnibus plebis conatibus vſque ad annum DCLXXX. quo anno tanto impetu coorta eſt plebs in patres, vt ſuſtineri amplius non poſſet. Quare Coſſ. eius anni C. Caſſius, & M. Terentius Lucullus, vt plebem delinirent, & ad rem integram in aduentum Pompeij reijciendam, ſi qua poſſent, adducerent (is tum in Hiſpania bellum gerebat cum Sertorio) Frumentariam legem tulere quo blandimento delinita plebs quietem egit vſque ad annum DCLXXXIII. cum Cn: Pompeius & M. Craſſus Coſſ. tribunitiam poteſtatem in integrum reſtituerunt. Legem hanc á latoribus veteres Terentiam & Caſſiam vocant, Cicero altero contentus nomine Terentiam dixit lib. III. in Verrem. De hac inſignis in ea, quam dixi, Marcij concione apud Saluſtium eſt locus. *Niſi forte, inquit, repentina iſta frumentaria lege munia veſtra penſantur, qua tamen quinis modijs libertatem omnium æſtimauere, qui profectò non amplius poſſunt alimentis carceris. Namque, vt illis, exiguitate mors prohibetur, ſeneſcunt vires: ſic neq; abſolui cura famılari tam parua res poteſt, & ignauus quiſq; tenuiſſima ſpe fruſtratur.* Eſſe autem legem, qua de hic agit Marcius, non Roſciam, vt alijs placuiſſe video, ſed Terentiam & Caſſiam apparet non ſolum ex eo, quod nullius extrá hanc legis frumentariæ eo anno latæ mentio fit á veteribus ſcriptoribus, ſed etiam quod Marcius, quo anno perlâta lex Terentia eſt, eo ipſo anno tribunatum plebis geſſit.

Porro

Porro eam legem frumentariam fuiſſe intelligimus ex Cicerone lib. in Verrem III. *Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex S.C. & ex lege Terentia frumentaria. Emundi duo genera fuerunt.vnum certarum decumarum;alterum, quod præterea ciuitatibus æqualiter eſſet diſtributum. Illius decumani tantum,quantum ex primis decumis fuiſſet; huius imperati, tritici modium IↃCCC. M.* quæ ita accipio, vt S. C. indictæ ſint alteræ decumæ, lege vero Terentia & Caſſia præterea imperata octingenta modium millia, & æqualiter diſtributa ciuitatibus, vt par omnium eſſet onus, & frumenti copia ad largiendum ſuppeteret.Quamobrem viris doctis affirmantibus legem hanc fuiſſe de frumento ex ſola Sicilia exportando,atque ob eam cauſſam priuilegium appellantibus, tantum abeſt, vt aſſentiar, vt mihi etiam perſuadeam, vnum modo caput id fuiſſe huius legis, qua ipſa cautum eſſet, qui frumenti numerus in alijs prouincijs, & quanti eſſet emendus. Sane enim emptum oportuit; cum ſiculum tribus circiter menſibus fuerit abſumptum,vt oſtendam cap.X.Niſi forte pars decumani diſtributa eſt, qua de re nihil habeo dicere. Ne dubitet igitur cum Lipſio quiſquam,quin hæc lex ſit per lata; id quærat potius quod eſt adhuc obſcurum, an fuerit temporaria, vt mihi videri ſolet. Si enim ad rem in Cn: Pompeij aduentum differendam, atque extrahendam comparatum eſt hoc remedium, eo iam reuerſo,reſtitutiſque in integrum tribunis fuit ſuperuacaneum, atque ideo fortaſſe non adhibitum. Sed & cum plebi & patribus male cōueniret,veri admodum ſimile eſt,quod illa extorſerat,hos cum primum licuit,largiendi finem fecíſſe. Legem Terentiam poſt aliquot annos ſequutum eſt S.C factum in Catonis ſententiam;de quo antequam ſcribere aggredior,dabunt mihi veniam, qui amant Græcas litteras, vt Saluſtij locum, quem ſupra attuli in medium, conferam cum loco Demoſthenis ex Olynthiaca. V.

III.vnde proculdubio hauſtus eſt. Ibi enim ſummus orator θεωρικὰ χρήματα. ideſt eas pecunias, quæ domi ex ærario ciuibus erogabantur, verbo, vt ab ijs, qui ſpectaturi venirent in theatrum, exigerentur (neque enim erant loca gratuita) reipſa autem, vt ijs quiſque vteretur arbitratu ſuo: eas igitur pecunias cibis ijs ait eſſe perſimiles, qui ægris à medico miniſtrari ſolent. Vt enim hi nec robur addunt inualido corpori, nec emori ſinunt: ſic illas pecunias nec ſufficere ad vitam tolerandam, & ſegnitiei atque inertiæ ſegetem eſſe. ἴσως ἂν τῶν τοιούτων λημμάτων ἀπαλλαγείητε, ἃ τοῖς ἀσθενοῦσι παρὰ τῶν ἰατρῶν σιτίοις διδομένοις ἔοικε. Καὶ γὰρ οὔτε ἰσχὺν ἐκεῖνα ἐντίθησιν, οὔτε ἀποθνήσκειν ἐᾷ· καὶ ταῦτα, ἃ νέμεσθε νῦν ὑμεῖς, οὔτε τοσαῦτά ἐστιν, ὥστε ὠφέλειαν ἔχειν τινὰ διαρκῆ, οὔτε ἀπογνόντας ἄλλο τι πράττειν ἐᾷ. ἀλλ᾽ ἔστι ταῦτα τὴν ἑκάστου ῥαθυμίαν ὑμῶν ἐπαυξάνοντα. *Fortaſſe huiuſmodi lucra miſſa feciſſetis, quæ cibos referunt a medico ægris præſcriptos. Neq; enim illi validos reddunt, neq; mortem obire ſinunt. Hæc item, quæ nunc vobis diſtribuuntur, neq; tanta ſunt, ſatis vt proſint, neque aliud agere hac ſpe abiecta ſinunt. quin vniuſcuiuſq; veſtrum ignauiam auctum eunt.* Ceterum Saluſtius in loco transferendo ne hæreret omnino in Demoſthenis veſtigijs, vt in Lepidi conſulis oratione in Syllam, quæ eſt inter fragmenta libri primi, ſeruilia alimenta hæc appellarat, ita hic vti maluit ſimilitudine alimentorum carceris, quæ non minus eſſent exigua ac tenuia, quam ea, quæ medici, vt dicebat Demoſthenes, ægris præſcriberent. Talem cibum Aſinio Gallo Tiberij iuſſu in publica cuſtodia retento, nulla habita dignitatis eius ratione, miniſtratum fuiſſe Dio tradit lib. LIIX. erat enim eius τροφὴ τοιαύτη καὶ τοσαύτη, ὥστε μήτε τινὰ ἡδονὴν καὶ ῥώμην αὐτῷ παρασχεῖν, μήτε ἀποθνήσκειν αὐτὸν ἐᾶν. *cibus talis ac tantus, vt voluptatem aut robur afferret nullum, mori autem prohiberet.* Quibus verbis cum Græci oratoris, tum latini hiſtorici ita

eſt

eſt expreſſa ſententia, vt de induſtria id factum videri poſſit, aut ſaltem caſus induſtriam imitatus. Vt vt eſt, mirum in modum his confirmatur eorum ſententia, qui locum hunc Saluſtianum ita legendum putant, vt eum nos deſcribendum curauimus. in quo ſequuti etiam ſumus aliqua ex parte impreſſorum ante hos CXXX plus minus annos codicum fidem, in quibus ita eſt. *Niſi forte repentina iſta frumentaria lege munia veſtra penſantur, qua tamen quinis modijs libertatem omnium æſtimauere, qui profecto non amplius poſſunt alimentis carere. Namq; vt illis exiguitate mors prohibetur, ſeneſcunt vires: ſic neq; abſolui cura familiari tam parua res, & ignaui quiſq; tenuiſſimas perfruſtratur.* Quæ in his bene habent, in recentius impreſſis codicibus deprauata reperias ad hunc modum. *Cum tamen qui his modis libertatem omnium æſtimauere.* Ex reliquis, vt ſunt à me interpuncta & reſtituta, hæc eruitur neque abſurda, neque obſcura ſententia. Vt eorum, quæ in publica cuſtodia retentis miniſtrari ſolent, alimentorum exiguitate, ita hac quinque non amplius modiorum largitione nihil aliud quam mors prohibetur; cum tam paruus frumenti modus neminem liberet cura rei familiaris: nihil aliud quam ſeneſcunt vires, cum *ignauus quiſque* (ita lego. puto enim inflexam virgulam, qua *us* ſignificatur, librario litteram *i* viſam eſſe) tenuiſſima ſpe fruſtretur. Neque hæc ſolum translata ſunt à Demoſthene in eam concionem, ſed alia non pauca; præcipue autem quæ ſuperiorib. verbis ſtatim ſubijciuntur. *Quæ tamen quamuis ampla, quoniam ſeruitij pretium oſtentaretur, cuius torpedinis erat decipi, & veſtrarum rerum vltro iniuria gratiam debere?* Item illa de paucorum dominatione ſub concionis initium. *Qui per militare nomen ærarium, exercitus, regna, prouincias occupauere, & arcem habent ex ſpolijs veſtris: cum interim more pecudum vos multitudo ſingulis habendos fruendoſq; præbetis, exuti*

omni-

omnibus , quæ maiores reliquere . Quæ partim expreſſa
ſunt,partim adumbrata ex vno eiuſdẽ orationis loco Κύ-
ριοι μὲν τῶν ἀγαθῶν οἱ πολιτευόμενοι, καὶ διὰ τούτων ἅπαντα
πράττεται. ὑμεῖς δὲ ὁ δῆμος ἐκνενευρισμένοι, καὶ περιῃρημένοι
χρήματα, συμμάχους ἐν ὑπηρέτου καὶ προθήκης μέρει γεγέ-
νησθε, καὶ τὸ πάντων ἀνανδρειότατον τῶν ὑμετέρων. αὐτῶν
χάριν προσοφείλετε. *Bona omnia in eorum , qui rempublicam
adminiſtrant , ſunt manu , & per hos omnia geruntur . Vos
autem populus eneruati & ſpoliati pecunijs , ſocijs , in fa-
muli & acceſsionis loco eſtis , quodq́ omnem ignauiam ſupe-
rat,eorum ipſorum,quæ veſtra ſunt , gratiam inſuper debetis.*
quæ poſtrema verba adduxerunt me aliquando ad ſuſpi-
candum , legi poſſe apud Saluſtium *veſtrarum rerum vl-
tra iniuriam gratiam debere* , vt expreſſa ſit vis verbi προ-
σοφείλειν. ideſt non ſolum iniuria non commoueri , ſed
gratiam præterea debere. Verumtamen nihil muto . Iam
ad S. C. redeamus factum in Catonis ſententiam an-
no V.C. DCXCI. Cum enim metuerent Patres C.Cæſa-
rem,quem in prætura ſtudere videbant rebus nouis , &
plebem ſolicitare, iuerunt frequentes in Catonis ſenten-
tiam ſuadentis , vt quando ſuperioribus annis Reſp. ma-
gnum ex frumentaria largitione ceperat fructum , colla-
tis repente hoc remedio in tranquillum omnibus turbis,
ea denuo Cæſaris conatibus obuiam irent,occupatoſque
animos pauperiorum hoc munere ſibi conciliarent. quo
facto Cæſaris ſpes in ventos abiere , nec moliri quidquã
auſus eſt. Plutarchus id prodit in Catone his verbis .
ὁ Κάτων ἔπεισε τὴν βουλὴν ἐναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον
ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον. ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυτοῦ χιλίων
καὶ διακοσίων, καὶ πεντήκοντα ταλάντων. περιφανῶς δὲ τῇ
φιλανθρωπίᾳ ταύτῃ καὶ χάριτι τῆς ἀπειλῆς ἐκείνης διαλυ-
θείσης &c. *Cato perſuaſit Senatui , vt pauperum turbæ lar-*
V I. *gitionis experti.*(Nam Lipſium non audio ἀνέμητον *infini-
tum* vertentem) *denuo frumentum daret. Annuus ſumptus*

erat

erat ille quidem talentum. M D L. Sed hac humanitate & beneficio minis illis aperte diſcuſſis &c. Idem in Cæſaris vita. Κάτων φοβηθεὶς μάλιστα τὸν ἐκ τῶν ἀπόρων νεωτερισμὸν, οἳ τοῦ παντὸς ὑπέκκαυμα πλήθους ἦσαν, ἐν τῷ Καίσαρι τὰς ἐλπίδας ἔχοντες, ἔπεισε τὴν σύγκλητον ἀπονεῖμαι σιτηρέσιον αὐτοῖς ἔμμηνον. ἐξ οὗ δαπάνης μὲν ἑπτακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες προσεγίνοντο τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασιν. τὸν μέντοι μέγαν ἐν τῷ παρόντι φόβον ἔσβεσεν περιφανῶς τὸ πολίτευμα τοῦτο, καὶ τὸ πλεῖστον ἀπέρρηξεν τῆς καίσαρος δυνάμεως. *Cato metuens maiorem in modum, ne tenuis ac ieiuna plebecula, quæ collocata in Cæſare ſpe, reliquæ multitudini ſubdebat faces, quid moliretur noui; perſuaſit Senatui, vt menſtruum illi frumentum diſtribueret. quæ acceſſio fuit ſeptingentarum quinquaginta myriadum (ſiue ſeſtertium trecenties) ad reliquos ſumptus. Eo conſilio magnus, qui tum omnes inuaſerat, metus aperte ſublatus eſt, plurimumq́; de Cæſaris potentia detractum.* In his duobus locis tria ſunt maxime digna, quæ animaduertantur. Primum pecuniæ vis effuſa quotannis in has largitiones, quæ ſunt DCCL aureorum Millia. Singulæ enim Græcorum myriades mille aureis noſtris ſcutatis reſpondent. Deinde Catonem fuiſſe auctorem Senatui τοῦ ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον. Non enim hoc dicit, fuiſſe per ea tempora ὄχλον (vt ita dicam) νεμητὸν. ideſt *multitudinem, quæ frumentum de publico acciperet*: ſuaſu autem Catonis turbæ etiam egenorum, qui erant ἀνέμητοι, & largitionis huius expertes datum. Poteſt enim hæc quoque ſententia exprimi ex illis verbis. ſed negat fuiſſe tunc vllam in Republica frumentariam largitionem. Id vult intelligi ex eo, quod ſumptum in eam factum non ijs impenſis acceſſiſſe dicit, quæ antea fierent in frumentum, quibuſcum ſi vlla fuiſſet largitio, conferenda erat; ſed τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασιν, ideſt *reliquis ſumptibus*, qui neceſſario fiebant in Republica. Sed & in verbo ἀναλαβεῖν

intermiſſæ ac repetitæ rei ſignificatio eſt. Poſtremo notandum vtrobique verbum ἔπεισε, quod Græcis interdum *ſuadere*, ſæpius tamen *perſuadere* ſignificat: notanda verba, quibus clauditur vterque locus, quod ijs quaſi teſtibus omni exceptione maioribus probetur, non modo actum eſſe in Senatu de frumento diſtribuendo, verum etiam reipſa fuiſſe diſtributum. Quod ſi quis eſt,
VII. cui hoc videatur obſcurum, quamquam reapſe clariſſimum eſt; nullas profecto in his Plutarchi verbis, quæ in ciuilibus monitis leguntur, tenebras offendet. *Κάτων τὸν δῆμον ὑπὸ καίσαρος ὁρῶν ἐν τοῖς περὶ Κατιλίναν διαταρασσόμενον, καὶ πρὸς μεταβολὴν τῆς πολιτείας ἐπισφαλῶς ἔχοντα, συνέπεισε τὴν βουλὴν ψηφίσασθαι νεμήσεις τοῖς πένησι, καὶ τοῦτο δοθὲν ἔστησε τὸν θόρυβον, καὶ κατέπαυσε τὴν ἐπανάστασιν.* ideſt. *Cato Catilinariæ coniurationis temporibus cum videret eſſe periculum, ne plebs à Cæſare ſolicitata ad mutandam Reip. formam prolaberetur, perſuaſit Patribus, vt S.C. fieret de frumento tenuioribus diſtribuendo. idque diſtributum omnem ſedauit tumultum, & ſeditionem repreſſit.* Illud minus liquet, quod eſt vel præcipuum, fueritne hæc lex diuturna, & rata vſque ad Clodiam. Non fuiſſe diuturnam, ſed annuam ſuſpicari quis poſſet, eo quod prætore Cæſare imminebat Reip. periculum; ne ſe plebi rerum nouarum auidæ in tanta poteſtate ſeditionis ducem præberet. At ex prætura vlteriorem Hiſpaniam ſortitus, neque more, neque iure, antequam prouinciæ ordinarentur, profectus eſt, vt prodit Suetonius Cap. XIIX. ita vt in vrbe turbare abſens nihil potuerit eo anno, & magna inſequentis parte, quæ in reditu ad vrbem conſumpta eſt. Contra diuturnam legem hanc fuiſſe indicare videtur Plutarchus, qui ſumptum ſcribit fuiſſe ἐνιαύσιον *anniuerſarium*, & factum, vt ipſemet interpretatur, ἐνιαυτοῦ *quotannis*. Et fuit ſane Romanæ prudentiæ proſpicere, quantas ille turbas eſſet daturus, qui

prætura

prætura turbulentiſſime geſta, in prouinciam ad eum, quem dixi, modum eſſet profectus; & largitione plebis animos optimatibus deuinctos tenere. Sed & Cicero productam eſſe vſque ad leges Clodias hanc largitionem ſignificare videtur ad Atticum II. epiſt. XIX. vbi narrat, ludis Apollinaribus Curioni filio in theatrum venienti cum ita plauſum eſſet, vt ſalua Rep. tuliſſe id Cæſarem grauiter, & fuiſſe, qui ob eam cauſſam Roſciæ legi, etiam frumentariæ minitarentur. Etſi hunc locum qui expenderit diligentius, is non facile ſtatuet, vtrum de lata iam lege, an de ferenda hæc Cicero ſcripſerit. Quod ſi latam ſignificat, vtrum ea ſit, de qua diſputamus, an alia quæpiam. Me quidem ancipites in diuerſum trahunt coniecturæ. De lata iam lege loqui Ciceronem ſuadet Roſcia, quæ frumentariæ iungitur, & perlata eſt ante aliquot annos, quam hæc ſcriberentur. Eſſe autem eam legem frumentariam idipſum, quo de agimus, S. C. vt ſuſpicer, facit mirum ſcriptorum omnium, quod quidem hactenus animaduerterim, de lege frumentaria inter hanc & Clodias interiecta, ſilentium. facit breue ſpatium temporis, inter has elapſum, quod triennium non amplius fuit. facit deſultoria, vt ita dicam, Senatus leuitas; ſi quod populo dedit, mox eripuit, vt non multo poſt redderetur. Nam S. C.^ta quin legum nomine interdum veniant, negari non poteſt. Aliæ rurſus ad aliam legem ante Clodias latam ducunt coniecturæ. Quis enim minus proprie hic accipi legis nomen præſtare audeat? Nec ſi nullius præter hanc legis mentio reliqua eſt, poteſt continuo confici nullam fuiſſe. Multa enim ſunt ab ijs, qui ad nos peruenerunt, ſcriptoribus prætèrita, & quædam adhuc in tenebris deliteſcunt. Vt igitur neque Plutarchus, neque alij prodiderint, Cæſare conſulatus candidato, & nihil in ſummo magiſtratu non auſuro latam denuo frumentariam legem; tamen ſæpius expertam, & prope

ſolennem plebis deliniendæ rationem in tanto diſcrimine eſſe neglectam credi vix poteſt. Cum præſertim Cæſarem conſulatum petentem numaria etiam largitione legibus vetita optimates ſibi oppugnandum putarint; *ne Catone quidem abnuente eam largitionem e Repub. fieri*, vt eſt apud Suetonium Cap. XIX. Ad extremum, vt Cicero ait, *nemo doctus vnquam mutationem conſilij inconſtantiam dixit eſſe*. Non modo autem de iam lata lege, verum etiam de ferenda hæc accipi poſſunt: ea ſcilicet, quam P. Clodius auram popularem captans, & ſtudium plebis in tribunatu ſibi mandando iactaret; quam Cæſaris amici negarent ſe ferri paſſuros. Quamquam enim ſcripta eſt hæc epiſtola Cæſare ipſo & Bibulo Coſſ: poſt ludos Apollinares qui ex vetere Kalendario fiebant pridie Nonas Iulias, & Clodius eo tempore nondum erat tribunus pl. creatus, comitijs dilatis à Bibulo in menſem Octobrem, vt eſt in XXI eiuſdem libri; is tamen Cerealibus Aprili menſe iam ſe tribunatus candidatum profeſſus erat, vt ex epiſt. VIII. intelligitur. Quamobrem fieri poteſt, vt Cæſaris amici, aut Clodium ſe de ſententia deducturos, aut tribunum inuenturos, qui intercederet, minitarentur. Quæ igitur ambiguam rem faciunt, hæc ſunt. Neque tamen diſſimulabo, quæ pro S. C. rationes afferuntur, eas mihi firmiores videri. Quibus accedit, quod dubitari non poterat, quin Cæſar breui conſulatum peteret. Quamobrem patribus faciendum fuit, vt bene cœptam largitionem perſeuerando, illi aut ad magiſtratum, aut ad res nouas in eo moliendas præcluderent viam. Cuius autem ſtultitiæ fuiſſet Cæſaris amicos id ſe populo erepturos minari, quod in populi ipſius manu & ſuffragio ſitum eſſet? Tandem leges Clodiæ vtrum fuerint eo tempore iactatæ, an non fuerint, obſcurum eſt. Leges Clo-
VIII. dias appello, non legem. Duas enim fuiſſe reperio frumentarias eodem anno latas, non vnam, vt pleriſque omnibus

nibus hactenus perſuaſum fuit. Niſi me forte Dio fallit, apud quem lib. XXXIIX. in actis anni DCXCVI. hæc leguntur. *ὁ οὖν Κλοδίος τὸν σῖτον προῖκα αὖθις διένειμε. τὸ γὰρ μετρεῖσθαι τοῖς ἀπόροις τοῦ τε Γαουινίου ἤδη, καὶ τοῦ Πίσωνος ὑπατευκότων εἰσηγήσατο. Clodius igitur frumentum denuo gratis diuiſit. Tulerat enim ad populum, vt daretur pauperibus, cum primum Gabinius & Piſo conſulatum inierunt.* αὖθις dicit, *rurſus* legem poſteriorem ſignificans, quæ lata eſt de publico frumento, quod lege Sempronia ſemiſſe ac trientibus ad eam diem datum erat, gratis dando. Non enim ſuaſu Catonis plane donatum erat; id quod ſuſpicatus eſt Lipſius in Admirandis. atque haud IX.
ſcio, an hoc illi Dionis verbum, quo ego errorem conuelli puto, ad errandum anſam præbuerit. Neque enim ipſe aperit, qua nitatur coniectura: & apud alios ſcriptores frumenti à patribus gratis dati nec vola, vt aiunt, nec veſtigium eſt. Dedit iterum Clodius gratis ex Dione, ante igitur gratis datum erat. falſum eſt. Cur enim Plutarchus impenſarum mentionem facit? Cur lege Clodia priore gratis datum non eſt? Cur remiſſos a Clodio, non a patribus ſemiſſes ac trientes quæritur Cicero? certè illi præiuiſſent, quod hic ſequeretur. Clodia lex prior, ſi vſque ad eam ratum fuit S.C. aut de perpetua frumentatione, aut de maiore pauperum numero ad eam admittēdo, aut de vtroque; ſin ratum non fuit, inſuper de reuocanda largitione lata eſt. Vtraque lex in annum incurrit V.C. DCXCV ex faſtis Capitolinis, ex Dione autem in annum DCXCVI. Gabinio & Piſone Coſſ. qui Cæſari & Bibulo ſucceſſerunt. Inuenit ſcilicet Clodius lege poſteriore, quid largiretur. quamquam M. Liuius, cum leges ſuas ferret, atque inter eas frumentariam, iactare ſolitus fuerit, Floro teſte, *nihil ſe ad largitionem vlli reliquiſſe, niſi ſi quis aut cænum diuidere vellet, aut cælum.* Reſtabat effundenda largitionibus quinta prope pars vectigalium,

lium,quam Cicero in Sextiana amiſſam affirmat hac lege. De publica hac iactura quæram alias opportunius,atque accuratius: nunc ſatis ſit intelligere eo maiorem fuiſſe, quod viguit hæc lex omnium diutiſſime. Cum enim reliquæ ad breue ſpatium temporis fuerint ratæ, hæc ad tria ſæcula fixa & firma nomen ſolum amiſit. Cauſſa diuturnitatis fuit ambitio mater ciuilium bellorum, quæ ſunt extincta funere & clade Reip. Dum nemo parem fert, nedum priorem, atque ob eam cauſſam ſeruiunt omnes plebi miſeris modis,& populi gratiam Reip,incommodis aucupantur, non auſus eſt quiſquam verbum vnum facere de Clodia lege abroganda.

De frumentarijs Principum largitionibus. Cap: III.

VERVM ad legis Clodiæ diuturnitatem nihil valuit æque ac Reſp.redacta in vnius poteſtatem. Cæſar enim rerum potitus animaduerſo, quantum eſſet momentum in hac largitione ad plebis animos ſibi cōciliandos,largiri perſeuerauit, fruſtra ſuadente Saluſtio,vt prouideret, vti plebs publico frumento corrupta haberet negotia ſua;& frumentum id, quod antea præmium ignauiæ fuerat,per municipia & colonias militibus daretur, cum ſtipendijs emeritis domos reuertiſſent. Quin tantum abfuit,vt audiret Saluſtium;vt præter congiaria, quæ actis vno menſe quattuor triumphis P.R. dedit, frumenti etiam denos modios viritim donarit. Sueton. Cap.XXXIIX. *Populo frumenti denos modios, ac totidem olei libras viritim diuiſit*. Dio lib.XLIII. σῖτον ἔξω τοῦ τεταγμένου, καὶ ἔλαιον προσέδωκεν αὐτῷ (τῷ δήμῳ) *frumentum inſuper extra ordinem atque oleum ipſi (populo) dedit.*

dedit. vbi hanc largitionem aperte extraordinariam fuiſſe teſtatur. quod facit, vt mirer Lipſium conieciſſe ordinariam quoque fuiſſe modium denum. Quamquam autem in eorum, qui largiebantur, poteſtate erat ijs largiri, quibus collibitum eſſet; Cæſar tamen ijs ipſis menſus eſt, qui publicum frumentum accipiebant. Auguſtus deinde patris conſilium ſequutus hoc quoque πολίτευμα adhibuit firmandæ dominationi; *atque vt militem donis, ſic populum annona pellexit*. Dedit enim publicam; dedit priuatim coemptam; dedit frequenter extra ordinem in annonæ caritate. Proditum a Dione eſt lib. LV. Auguſtum, cum fame ingenti premeretur vrbs, donaſſe plebi alterum tantum frumenti, quantum e publico ſolita erat accipere. Dederat etiam multis ante annis quadruplum, cum VI. conſul ludos exhibuerat pro Actiaca victoria, eodem teſte lib. LIII. Quæ largitiones fame vexante vrbem ab Auguſto ſunt factæ, eas complexus eſt egregie Suetonius Cap. XLI. paucis verbis. *frumentum in annona difficultatibus ſæpe leuiſsimo, interdum nullo pretio viritim admenſus eſt*. In quibus verbis dignum eſt animaduerſione, frumentum ſæpe extra ordinem venditum fuiſſe leuiſſimo pretio. hinc enim intelligere eſt, maiorem multo fuiſſe publici frumenti numerum eo, qui abibat in largitiones. Quæ obſeruatio Taciti locum, de quo diſputabimus inferius, non mediocriter illuſtrabit. Auguſtum tamen & ſuopte ingenio, & cura tuendi principatus propenſum ad liberalitatem, cum multos magna quondam ſterilitate ac difficili remedio vrbe expellere coactus eſſet, impetus cepit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum ceſſaret. nec perſeuerauit, quia certum habebat poſſe per ambitionem aliquando reſtitui. Sueton. Cap. XLII. ab ipſo Auguſto hoc proditum ſcribit. Tot tantarumque largitionum memoriam conſignatam ab eo monumētis breuiarij rerum

à ſe

à ſe geſtarum facile mihi perſuadeo. Sed vetuſtas, cui in marmora & æra, nedum in nos homullos ius eſt, inuidit nobis tam certa earum teſtimonia corrupto atque exeſo magna ex parte lapide Ancyrano; perditis autem, omninoque ſublatis e medio aheneis pilis, in quibus Romæ erat ſcriptum. De publico frumento in eo lapide ſemel tantum mentio fit obiter in capite, quod aſcribam, cum de accipientium numero diſputabo. De coempto priuata pecunia in eodem monumento hæc leguntur.

ITERVN AERE MEO VIRITIM CONSVL VNDECIMVM DVODECIM FRVMENTATIONES FRVMENTO PRIVATIM COEMPTO EMENSVS SVM.

Suſtuli ex hoc fragmento inſigne mendum, quod editiones omnes inſederat, & pro illis verbis AERE MERVI. ET. quæ nauci non ſunt, repoſui AERE MEO VIRITIM. vt legi in lapide ipſo Ancyrano audeo affirmare. AERE MEO fortaſſe dixit Auguſtus in hoc capite, quod in ſuperiore, EX PATRIMONIO MEO. Poteſt tamen hoc ipſum non incommode ad hæreditates etiam referri, de quibus mox dicam. Robur adijcit huic emendationi, quod ſubijcit. FRVMENTO PRIVATIM COEMPTO. Sic enim curaui edendum in ipſo fragmento, non COLVMEIO. vt viri doctiſſimi, ſed hac quidem in parte nimis religioſi. Parcenda hæc religio eſt veteribus ſcriptoribus, qui à nobis tractantur: in his autem fœdiſſimis vetera monumenta deſcribentium peccatis procul ableganda. VIRITIM etiam ſcripſi, veſtigia ſequutus harum litterarum VI. ET. atque ipſum adeo Auguſtum, & veteres ſcriptores, qui hanc vocem adhibent ad ſignificandas frumentarias, & numarias largitiones. Ex hoc igitur capite ad eum, quem dixi, modum reſtituto intelligimus, Auguſtum, quo anno XI conſul fuit,
X. frumentum ſingulis menſibus plebi gratis dediſſe coemptum

ptum ære ſuo. Id vtrum fecerit ob reditum in vrbem ex Cantabria deuicta; an ob conſulatum;an ob peſtem, quæ graſſari eo anno cœpit, non liquet. Illud conſtat Auguſtum,niſi ſi fuit diuinus, ad famem, vt Lipſio videtur,leuandam largiri non potuiſſe: cum fames non niſi anno inſequente ex incultis per ſuperioris anni luem agris præmere vrbem cœperit Dione teſte initio libri LIV. Frumentum datum credo, ſed ab eo,quod additur, priuata pecunia coemptum fuiſſe,aſſenſum cohibeo.Quamquam enim cum ſæpe alias Auguſtus,tum ſupremo teſtamento profeſſus eſt, abſumpta à ſe in Remp. duo paterna patrimonia,& ſupra quaterdecies millies,quod ex teſtamentis amicorum perceperat (quæ minimum ſunt trecenties quinquagies centena aureorum millia , vel vt nunc vulgo loquimur,quinque & triginta milliones) arguitur tamen ſemel & iterum mendacij à Dione lib. XLVI. vt qui militibus pecunias diuiſerit λόγῳ μὲν οἴκοθεν, ἔργῳ δὲ ἐκ τῶν κοινῶν. *verbis de ſuo, reapſe de publico*, & plebi R. centenos vicenos nummos à patre legatos, non priuata, vt videri vult in his fragmentis, ſed publica pecunia perſoluerit. Verumtamen fauet Auguſto, quod hiſtoricus idem tradit, ludos pro Actiaca victoria priuato ſumptu ab eo factos. Cœperat ſcilicet abundare Auguſtus, & iam ſecurus imperij tam large effundebat priuatam pecuniam ad illud retinendum,quam publicam olim ad idem occupandum. Tiberius maxime tenax minime popularis raro admodum quidquam donauit. Obſeruaui tamen apud Tacitum lib. II. nouum ab eo excogitatum largitionis genus nummariæ ſimul, & frumentariæ. *Nam ſæuitiam annonæ incuſante plebe, ſtatuit frumento pretium, quod emptor penderet, binosq́; nummos ſe additurum negotiatoribus in ſingulos modios*. Idem ſcribit lib. XV. Neronem cum vrbs deflagraſſet, pretium frumenti minuiſſe vſque ad ternos nummos, quod non perinde accipiendum eſt, ac ſi aut

F Nero,

XI. Nero, aut qui ante eum imperarunt, pretium vllum vel leuiſſimum dixerint publico frumento, quod lege Clodià gratis dare cœperat; id quod video Lipſium eſſe ſuſpicatum commentarijs in Tacitum. Fuit enim ab ea lege frumentum omnino gratuitum. multo etiam minus hæc de eo accipienda, quod *ſupra annonarum modum, ſupraq́ menſtruam teſſeram capiebant.* Nero enim prætextu huius incendij ad quoddam tempus legitimo frumento plebem fraudauit. Xiphilinus, ἐπὶ τῇ προφάσει τοῦ ἐμπρησμοῦ τῶν Ῥωμαίων τὸ σιτηρέσιον παρεσπάσατο. *Incendium cauſſatus frumentationem publicam ſuſtulit.* Sed pretium, cuius meminit Tacitus, frumenti fuit à Nerone vænalis propoſiti ad ſubleuandas P. R. calamitates. Quantum enim collatis inter ſe horum ſcriptorum locis odorari poſſum, legitima largitione, ad quam plebis quota pars admittebatur, ſublata, emenſus eſt Nero P. R. ſine vllo diſcrimine frumentum ſeſtertijs ternis, ideſt pretio leuiſſimo in modios æſtimatum. Magnam Tacitus fuiſſe hanc largitionem ſignificat; maior tamen erat futura omnino gratuita. Sed fuit, vt ſuſpicor, Neroni conſilium, pretio leuiſſimo frumenti conſtituto vna, eademq́ue opera populum lenire ſibi infenſum, vt incendij auctori, & ſimulare tantam a ſe quoque factam iacturam, vt neque dare frumentum poſſet omnino gratuitum, & a prouincijs, priuatisq́ue collationes recipere, atque adeo efflagitare cogeretur. id quod ab eo factum tradit præter Suetonium Cap. XXXIIX. Xiphilinus, quem ea, quam dixi, ratione Tacito concilio. Fuit alterum quoque pretium annonæ, certa ſcilicet ſumma pecuniæ, qua frumentum & priuatum negotiatorum, & publicum, quod reliquum faciebant largitiones, vænibat. Ea ſumma pro copia frumenti, quæ in vrbe erat, vt nunc quoque vſuuenit, & pro anni prouentu, nunc maior erat, nunc minor. Modus annonæ vocatur a Tacito lib. XV. Plinius lib. XIIX. Cap. X.

annonam mediam vocat,cum frumento nec vilitas,nec ca ritas eſt,ſed pretio vænit mediocri ac tolerabili. De Principum largitionibus hactenus. Neque enim perſequi omnes inſtitui,ſed ſpecimen tantum exhibere volui, ex quo liceret coniecturam facere de alijs non paucis,quas de induſtria prætereo; ne cui forte in rebus cuilibet obuijs immorari,aut contexere hiſtoriam videar.

De pane pro frumento dari cœpto. *Cap. IV.*

FRumentaria largitio cum diu obtinuiſſet, panis tandem ſucceſſit in eius locum. De eo igitur,quando vicarius fuit publici frumenti, non abs re erit pauca diſputare, vt prima eius origo, ſi qua poteſt, in lucem eruatur. Lipſius hanc annonæ mutatio- XII.
nem factam a Traiano, omnino autem circa Flauiorum imperium ſuſpicatur. Adduxere eum in hanc ſententiam veteres in Perſium commentarij, qui Satyra III. farinam populi cribro decuſſam panem fiſcalem interpretantur. Vt,cum Perſium deceſſiſſe conſtet anno imperij Neronis VIII. Rubrio Mario,& Aſinio Gallo Coſſ: iam tum panis pro frumento datus videatur. Accedit alter Iuuenalis locus, quem floruiſſe Domitiani temporibus, atque adeo vitam vſque ad Adrianum produxiſſe volunt. Is igitur Satyra X. de populo R. ſcribens, qui dabat olim imperium,faſces,legiones, omnia : nunc,inquit, ſe

Continet, atque duas tantum res anxius optat
Panem, & Circenſes.

panem ecce nominat,non frumentum. Confirmat eum in hac ſententia Aurelius Victor, qui Traianum prodit annonæ perpetuæ mire conſuluiſſe,reperto,firmatoque pi-

ſtorum collegio. *Si enim,*inquit,*piſtorum collegium a Traiano ad commodandum annonæ, ergo & panis*. Duo hic largitionis huius initia nemo,opinor,tangi non videt: cum Traianus quadrageſimo ferme, poſtquam illa a Perſio ſcripta ſunt,anno imperium ſuſceperit. Vter igitur panē primus dedit,Nero ne,an Traianus? Non aperit Lipſius, quid ſentiat: quamquam ſcriptores veteres, quos teſtes producit,digladiari vidētur inter ſe;neque eſt Scholiaſtæ Perſij auctoritas cum Iuuenale ipſo,& Victore comparanda.Mihi vero,vt fatear ingenue,quod ſentio,verum neutrum videtur: & rationes a Lipſio allatæ in medium paullo negotio dilui poſſunt. Primum veteres illi in Iuuenalem & Perſium commentarij non tantum apud me, quantum apud alios pleroſque habent auctoritatis pondus.Multa in illis antiqua reperias, multa recondita,multa optimæ notæ: ſed contra in ijſdem non pauca obſeruaui recentia,friuola,falſa, & ab eorum, in quos ſunt ſcripti, poetarum ſententia aliena; quæ propemodum clamant eos non eſſe ſinceros, ſed vt alios pleroſque (præcipue autem in Satyras Horatianas) infuſcatos. Quamobrem adhibenda in ijs legendis cautio eſt,ne quem forte vetuſtatis opinione rapiant in errorem. Rationem cenſuræ tam aſperæ in hos commentarios meæ differam in aliud tempus: nunc ſatis erit oſtendere, obſcuratam ab eis,quaſi nube obducta,clariſſimam Perſij ſententiam panis fiſcalis mentione. Carpebat enim poeta diuites, gulę, & luxuriæ mancipia; qui panem, atque holera, quibus vtitur plebs,aſpernabantur,ſuperbum hoc faſtidium prætexentes leui aliqua excuſatione.

——Poſitum eſt algente catino
Durum holus, & populi cribro decuſſa farina:
Tentemus fauces. tenero latet hulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.

cuius loci priorem partem tantum non interpretatus eſt

Plinius

Plinius lib. XIX. Cap. IV. longa, eaque acerbiſſima diuitum luxus inſectatione, de qua pauca operæpretium eſt delibare. *Ferendum ſane fuerit exquiſita naſci poma, alia ſapore, alia magnitudine, alia monſtro pauperibus interdicta: inueterari vina, ſaccisq́ caſtrari, nec cuiquam adeo longam eſſe vitam, vt non ante ſe genita potet. E frugibus quoque quoddam alimentum excogitaſſe luxuriam, ac medulla tãtum earum, ſuperq́ piſtrinarum operibus, & calaturis viuere, alio pane procerum, alio vulgi, tot generibus vſque ad infimam plebem deſcendente annona. Etiamne in herbis diſcrimen inuentum eſt, opesq́ differentiam fecere in cibo etiam vno aſſe venali? In his quoque aliqua ſibi naſci tribus negant.* Reliqua legantur apud illum triſtiſſimum, & aſperrimum cenſorem morum, quem cum lego, nec Perſium, nec Iuuenalem deſidero, ac ne Lucillium quidem; quamquam velut ſtricto enſe infremuiſſe dicitur. Sed Iuuenalis mentio opportune facta reuocat mihi in memoriam Satyram eius V. cuius idem ferme eſt, quod ſuperioris Pliniani loci argumentum, ſed ita tractatum, vt cum Plinius fulmina mittere videatur, Iuuenalis vix coruſcet, & quanto hic placidior, tanto ſit ille torrentior. In ea igitur Satyra hi verſus leguntur, qui ſuperiores etiam Perſianos illuſtrant non mediocriter.

Ecce alius quanto porrexit murmure panem
Vix fractum, ſolida iam mucida fruſta farinæ,
Quæ genuinum agitent, non admittentia morſum.
Sed tener, & niueus, mollíq́ ſiligine factus
Ponetur domino. dextram cohibere memento:
Salua ſit artoptæ reuerentia. Finge tamen te
Improbulum; ſupereſt illic, qui ponere cogat.
Vis tu conſuetis audax conuiua caniſtris
Impleri, panisq́ tui nouiſſe colorem?

Cum igitur plebeij plerique conficerent, hodieque conficiant panis, non ex farina ſuccreta cribro pollinario, ſed

laxiore

laxiore,quod minutos etiam furfures tranſmittit: hi panes quia neque candore, neque ſuauitate pares ijs erant, qui parabuntur diuitibus ex ſimila,aut ſiligine,ab illis reijciebantur. Atque hi ſunt,quos ſignificat Perſius, cum farinam dicit populi cribro decuſſam. Cur igitur quiſ-
XIII. quam fiſcales panes hic nobis obtrudat,nihil eſt. Habeat ſibi ille bardus, qui eos primus ſomniauit. Quid? quod hæc huius loci interpretatio cum altero pugnat eiuſdem poetæ loco Satyra V?

Libertate opus eſt,non hac, qua vt quiſq. Velina
Publius emeruit, ſcabroſum teſſerula far
Poſſidet.

Nonne enim diſerte oſtendit poeta diſtribui ſolitum ætate ſua frumentum,non panem? Quod ſi cui forte in mentem venerit ſuſpicari,mutatam a Nerone, poſtquam hæc ſcripta ſunt,aut mortuo iam Perſio, annonam, is meminerit, Tacitum lib.XV. ſcriptum reliquiſſe, Neronem anno imperij XI. Silio Nerua, & Attico Veſtino Coſſ. (is fuit a Perſij morte annus tertius) dediſſe prætorianis militibus ſine pretio frumentum, quo ante ex modo annonæ vtebantur.Panem.n.profecto largitum dixiſſet, ſi frumentum per ea tempora dari eſſet deſitum. Hæc de Neronis imperio, & Perſij loco. De Tito imperatore vetus extat inſcriptio reperta in horreis Palatinis, ex Panuinio in vrbe Roma

IMP. T. CAESARI.
DIVI. F.
VESPASIANO. AVG.
PLEBS. VRBANA.
QVAE. FRVMENTVM.
PVBLICVM. ACCEPIT.
ET. TRIBVS.

XIV. Iuuenalis autem,cuius ad Domitianum, Neruam,Traianum,Adrianum pertinere poteſt locus,panem dicit a po-

pulo

pulo optari. non nego. fiſcalem igitur, & gradilem. hoc pernego. Videtur enim mihi poeta panis nomine ſignificare vberem annonam, quam plebs vbique exigit a Principe. De ea locus eſt apud Tacitum lib IV. hiſtoriarum, eo magis notandus, quod ſummus vir in eius interpretatione a me ſtat, ſecum pugnat. *Quia naues*, inquit Tacitus, *ſæuitia hiemis prohibebantur, vulgus alimenta in dies mercari ſolitum, cui vna ex Republ. annonæ cura, retineri commeatus dum timet, credebat.* In eum locum Lipſius tale eſſe notat hoc Iuuenalis de populo R.

—— Duas tantum res anxius optat
Panem, & Circenſes.

De pane igitur vænali, eiusque copia locus Iuuenalis accipiendus, non de fiſcali, quem Domitiani ſæculo in vſu non fuiſſe docet, ni fallor, hic poetæ eiuſdem locus e Satyra VII. quæ eſt de viui adhuc Domitiani egregia in poetas voluntate, quamquam Neronem hic quoque ſomniat vetus interpres.

Summula ne pereat, qua vilis teſſera vænit
Frumenti.

teſſeram frumenti ecce nominat, non panem. Veruntamen idem ille vetus interpres hoc quoque diſtorquet, & ſummulam, niſi me fallunt corrupta eius verba, modum ſignificare ait gradilis panis: quam recte, & appoſite ad reliqua poetæ verba, omnes vident. Si enim ſummula modus panis eſt, quid erit teſſera frumenti væniens? An non verius eſt, ſummulam eſſe eam pecuniolam, quam teſſeræ frumentariæ pretio parem orator corradebat? mihi quidem videtur. Dedit igitur frumentum Domitianus. Quid Nerua? Silent hiſtorici, ſed nummi loquuntur, in quorũ vno modius eſt ſpicis refertus cum hac inſcriptione.

PLEBEI VRBANAE FRVMENTO CONSTITVTO. quamquam autem, qua ſit præcipue ratione cõſtitutum, non conſtat (potuit enim multimodis conſtitui) mihi

tamen

tamen ſatis ſuperque eſt, non dici reſtitutum, vt ſane dictum oportuit, ſi Domitianus panem diſtribuerat. Illud quoque confirmare omnes poteſt nō mediocriter in hac ſententia quod hic mentio fit plebis vrbanæ, quæ annonā gratuitam accipere erat ſolita. Dedit igitur Nerua frumentum, atque adeo vt ſucceſſores dare poſſent, conſtituit. Succeſſit illi Traianus, quem inſtitiſſe paternis veſtigijs (quod quidem ſpectat ad hanc largitionem) quamquam veri admodum ſimile eſt, non poſſum tamen certo affirmare: quippe qui nullum adhuc inuenerim vetus monumentum, vnde id erui poſſit. Ac ne panes quidem ab eo diſtributos quiſquam veterum tradidit. Solus Victor neſcio quid de piſtoribus ſcripſit, vt ſupra notaui, vnde
XV. id eruit Lipſius. Sed alia fortaſſe, quam putat, illis verbis eſt ſubiecta ſententia, & hoc dicit Victor. Vt panis ingenti vrbem colentium multitudini abunde ſuppeditaret, nec deficeret vnquam, repertum a Traiano, firmatumque piſtorum collegium. qua ratione & populo R. vniuerſo, & peregrinis optimus imperator proſpexit, quorum plerique pane a propola vitam tolerabant; id quod & ſtante Republica, & collapſa factum conijcio ex Cicerone in Piſonem, & Tacito lib. IV. hiſtoriarum: & hodieque Romæ tralatitium eſt; qua in vrbe, vt in pleriſque omnibus Italicis, piſtorum collegium in eam, quam dixi, gratiam viget; at panis largitio, ſi ſportulas excipias, nulla. Quando igitur nihil vetat credere, idem Traiani conſilium fuiſſe; expectemus neceſſe eſt, dum aliquid certius de pane ab eo diſtributo in lucem eruatur. Interea ſi a frumentaria largitione, quamdiu retinuiſſe Traiani ſucceſſores docebo, de ipſo Traiano coniecturam ducere licet; quidni autem liceat? frumentum ab eo datum videri pronuntio. Adrianus certe, qui illi in imperio ſucceſſit, *Senatoribus, qui non vitio ſuo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo Senatoriæ profeſſionis expleuit, ita vt pleriſq;*

in diem

in diem vitæ ſuæ DIMENSVM ſine dilatione reſtituerit, vt ſcribit Spartianus. At dimenſum non panis modus eſt, ſed frumenti, auctore Donato in Phormionem. frumentum igitur largitus eſt Adrianus. De Antonino autem Pio, quem ille habuit hæredem imperij, hæc apud Capitolinum leguntur. *Vini, olei, & tritici penuriam per ærarij ſui damna emendo, & gratis populo dando ſedauit.* Quamquam autem hæc extra ordinem largitio videtur in annonæ caritate, quid tamen cauſſæ fuerit, quamobrem frumētum, non panis populo daretur, non video; ſi piſtorum collegium ea tantum gratia fuerat inſtitutum, vt gratuitum panem conficerent. Poſt Antoninum Pium imperium ſuſcepit alter Antoninus, quem vulgo appellant philoſophum. Is cum L. Vero, quem Auguſtum dixerat, Lucillam filiam deſpondit, *ob hanc coniunctionem*, vt ait Capitolinus, *pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni aſcribi præcepit*. Nihil dici potuit apertius: & tamen in rem minime dubiam teſtem alterum dabo L. Appuleium, qui circa Antonini tempora, & horum DD. fratrum vixiſſe traditur. Is libro de mundo. *Alius*, inquit, *ad Minutiam frumentatum venit, & alijs in iudicijs dies dicitur*. Nulla hic graduum, e quibus panem diſtributum volunt, ſed Minutiæ; nulla panis, ſed frumenti mentio. Quinetiam multis poſt annis L. Septimius Seuerus, & poſt eum Antoninus eius filius frumentum dedere, ſi Lipſio credimus, qui ad Taciti Annalium librum XV. docet ex Herodiano auctum ab vtroque modum frumenti, quod cohortibus prætorianis Neronis inſtituto gratis dabatur. Accepiſſe autem etiam plebem colligo ex Xiphilino, qui vno eodemque nomine τῶν σιτοδοτουμένων, quo vtitur Dio ad eos ſignificandos, quibus frumentum gratis dabatur, de Seuero ſcribens milites & plebem complectitur. Eius verba recitabo inferius, cum de numero accipientium diſputabo. Poſtremo Alexandrum a vetere cō-

ſuetudine nō receſſiſſe docent Paullus & Vlpianus I. CC. quorum vterque & floruit, Lampridio teſte, illo imperante, & frumentariæ teſſeræ mentionem fecit. Vlpiani fragmentum legitur in Pandectis titulo de iudicijs. *Si libertis ſuis teſſeras frumentarias emi voluerit teſtator*. Paulli autem titulo de legatis 2. *Si Titio teſſera frumentaria legata ſit.* Cum ergo frumenti tam frequens ſit apud veteres mentio, de pane autem mirum ſilentium, non temere, opinor, vſque ad hæc tempora frumentum donatū quis affirmauerit. Quid tu? inquiet aliquis, panem fiſcalem cuius inuentum putas? Ego vero Aureliani, quem tradit Vopiſcus expeditione ſuſcepta in orientem, bilibres coronas populo R. pollicitum, ſi victor rediſſet. Ac populum quidem aureas expectantem ex panibus accepiſſe, quos illi Aurelianus voti compos donauit. Ex eo igitur panem quotidie ſingulis datum, & quidem ſiligineum, qui hæredes, poſterosque omnes ſequeretur, atque hunc panem, vt ita dicam, coronarium ſe hæc prodente Conſtantino principe adhuc datum affirmat. Paullatim deinde hæc quoque largitio vna cum imperio P.R. conſenuit, ac demum omnino defluxit. Sed alterum quoque eſt ab Aureliano vſurpatum largitionis genus, cuius meminit in epiſtola ad præfectum annonæ apud eundem Vopiſcum his verbis. *Inter cetera, quibus, Dis fauentibus, Romanam rem iuuimus, nihil mihi eſt magnificentius, quam quod additamento vnciæ omne annonarum vrbicarum genus iuui*. Vopiſcus vnciam additam panibus vrbis de Aegyptio vectigali teſtatur. hanc largitionem a viris doctis ante me obſeruatam fuit mihi conſilium denuo commemorare, vt alia nonnulla, vt in medium rationem ponerem, qua ſi minus facta eſt, at fieri potuit. Aucto igitur non mediocriter Aegyptio vectigali Probi opera, quem tradit Vopiſcus in Nilo tam multa feciſſe, vt vectigal frumentarium ſolus adiuuerit, ſtatuit Aurelianus

quidquid

quidquid illud fuerat acceſſionis donare populo R. ſed ita, vt, quod in ſe erat, nemo expers eſſet eius largitionis. Iuſſit igitur vt piſtores, qui panes in vrbe vænales conficiebant, certi in aſſes v. g. ponderis pro annonæ modo, vt fit hodieque panibus ſingulis vnciam adderent, quam ipſe gratuitam ementibus dabat, damnà piſtorum frumento Alexandrino ſarciendo. Sed hanc largitionem ſuſpicor non fuiſſe diuturnam.

De modo frumenti. Caput V.

HAec habui, de ortu & interitu frumentariæ largitionis quæ dicerem. Nunc de modo frumenti vt diſputem, ratio ſuadet, ac via, quæ in omni doctrina momenti plurimum habet. Ac principio quidem certum ac definitum modum nullum fuiſſe facile adducor ad ſuſpicandum. quippe qui ex Liuio præſertim intelligam, frumenti vim, quæ diſtribuebatur, variam fuiſſe & incertam, & tamen diuiſam aliquando cum ſumma fide & gratia, ideſt, vt ego interpretor, nulla habita aut proprij, aut amicorum, & clientium commodi præcipua ratione, ſed admiſſa plebe vniuerſa ad publicam liberalitatem. qua ratione ad eius multitudinem frumenti modus fuit exigendus. Sed hæc, vt ingenue fatear, mera eſt diuinatio, ex perleui orta coniectura: quam autem ſubijciam, ea firmiori nitetur fundamento, & facile omnes mihi aſſentientur, Gracchum, qui primus de ſtata, ac perpetua frumentatione legem tulit, de modo etiam frumenti cauiſſe. Eum igitur huius quoque rei auctorem facio. Ab Appuleio autem & Druſo non minus hunc ipſum modum ſeruatum veri-

ſimile eſt, quam certum ſit, legem Semproniam eos reuocare conatos. Sed quanta hæc fuerit menſtrua largitio, nemo omnium, qui extant, veterum ſcriptorum, quod ſciam, prodidit. Vnus Saluſtius in ea, quam ſupra commemoraui, Marcij concione, modum lege Terentia frumento definitum expreſſit his verbis. *Niſi forte repentina iſta frumentaria lege munia veſtra penſantur, quæ tamen quinis modijs libertatem omnium æſtimauere.* quem locum diligenter examinans veni in eam ſententiam, vt mihi perſuaſerim, aut reſtitutum hac lege veterem Semproniæ modum, aut hunc recentem vetere maiorem fuiſſe. Vix eſt enim vt ſi plus Gracchus dediſſet, fuerit Marcius ſilentio præteriturus, largiorem tribunum fuiſſe, quam patres: cum præſertim eos apud plebem criminaretur, & largitionem illam extenuaret; vt huius exilitate, illorum impotentia commota in ſtudium reſtituendæ tribunitiæ poteſtatis acrius exardeſceret. Sed tamen parem fuiſſe legis Terentiæ & Semproniæ modum verius videtur cogitanti, hanc largitionem patribus expreſſam, delinire ſatis potuiſſe plebis animos in eos offenſiores, ſi par tribunitiæ

XVI. fuiſſet. Hoc igitur probo: Lipſium non audio, qui ob has tribunitias querelas additum largitioni modium arbitratur, ita vt ſeni eſſent. Nam cum pugnet aperte cum Saluſtio, nulla tamen ſententiam ſuam fulcit ratione. Quini igitur modij, ſingulis menſibus ad frumentariam perceptionem admiſſis dati ſunt lege Sempronia; fortaſſe etiã S.C. facto in ſententiam Catonis, ad plebem, legis Terentiæ exemplo, leniendam. Reliquæ ſunt Clodiæ leges, latæ paullo ante funus Reipubl. quibus nullam factam ad veterem modum acceſſionem vt credam, facit Cicero, qui exhauſtum a Clodio remiſſis ſemiſſibus ac trientibus ærarium deplorat; de modo autem ab eo aucto ne verbum quidem: cum tamen hac ratione magnum potuerit Reipubl. vulnus infligi, & Ciceroni non diſſimulãdum. Dicet

quiſpiam.

quiſpiam. Ne de numero quidem accipientium aucto Cicero quæritur, de quo tamen Clodiam legem priorem non eſſe latam præſtare non audes. Sed multitudo aucta antea fuerat a viris bonis, & Reipublicæ amantibus; modus fortaſſe a nemine. Cæſare autem rerum potito, ordinariam largitionem fuiſſe modium denum, eo magis miror Lipſium affirmaſſe in Admirandis, quod alibi à ſe id notatum dicit, quod nullibi eſt notatum. Nam in Electis, probare hanc ſententiam non auſus, ſuſpicatur id, quod res eſt, hanc fuiſſe largitionem extra ordinem, vt ego capite III. Dionis teſtimonio probaui. A Cæſare vſque ad Seuerum de modo frumenti a veteribus traditum nihil obſeruaui. Seuerus, Herodiano teſte libro III. primus cohortibus prætorianis modum auxit. Caracalla eius filius fratre cæſo, vt eſt apud eundem lib. IV. dimidium eius, quod pater dabat, adiecit, vt menſtrua largitio minimum fuerit nouenum modiorum. modus autem frumenti plebi diſtributi qui fuerit, obſcurum eſt. frumento deinde poſt LX. circiter annum dari deſito, coronæ bilibres ex ſiligineis panibus quotidie populo ab Aureliano ſunt datæ: quam largitionem ſi minus maiorem frumētaria, quæ antea obtinebat, parem certe fuiſſe veriſimile eſt. XVII.

De iis, quibus dabatur publicum frumentum. Cap. VI.

AD tertium iam venio diſputationis huius caput, de iis, quibus dabatur publicum frumentum. Hæc quæſtio duas habet partes; vnam de ſtatu, alteram de multitudine accipientium, quas eodem, quo propoſitæ ſunt, ordine exſequar. Quod ſpectat ad primam, datum eſt frumentum ciuibus Romanis

tenuio-

tenuioribus, ſiue ingenui eſſent, ſiue libertini, ſiue nobiles, ſiue obſcuri. Senatores etiam accepiſſe reperio, & admiſſos ab Auguſto aratores, & negotiatores, à Nerone cohortes prætorias: quæ omnia, antequam porro progredior, veterum teſtimonijs confirmanda ſunt. Ciues fuiſſe liquet ex Perſij, & Senecæ locis, quos ante me Lipſius notauit; neque ex ijs modo, ſed ex alijs multis, quibus in re tam clara & certa ſuperſedeo. Quamobrem peregrinos ante ciuitate, quam frumento donatos autumo. Habitam præcipue tenuiorum, miſeræque plebeculæ rationem ijſdem teſtibus credi poteſt, quibus ſupra vſus ſum, de legibus Sempronia & Clodia cum diſputarem. Liberti etiam capiebant, vt præter Perſium, cuius verſus cap. IV. illuſtraui, docet Dio libro XXXIX. ὁ Πομπήιος ἔσχε ἐν τῇ τοῦ σίτου διαδόσει τριβήν τινά. πολλῶν γὰρ πρὸς τὰς ἀπ' αὐτοῦ ἐλπίδας ἐλευθερωθέντων, ἀπογραφὴν σφῶν, ὅπως ἔντε κόσμῳ, καὶ ἐν τάξει τινὶ σιτοδοθῶσιν, ἐθελῆσαι ποιήσασθαι. *Erant, quæ Pompeium in diſtributione frumenti morarentur. Multis enim propter ſpem, quam de ſe excitarat, manumiſſis, vt recte atque ordine acciperent, recenſum eorum facere inſtituerat*. quæ verba ad neſcio quam liberalitatem detorſit interpres. Accepiſse autem & nobiles, & magiſtratibus functos diſcimus ex Cicerone Tuſcul. III. *Piſo ille frugi ſemper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata conſularis ad frumentum accipiendum venerat. Animaduerterat Gracchus in concione Piſonem ſtantem. Quærit audiente populo R. qui ſibi conſtet, cum ea lege frumentum petat, quam diſſuaſerat. Nolim, inquit, mea bona, Gracche, tibi viritim diuidere liceat. Sed ſi facies, partem petam*. De Senatoribus eſt etiam Spartiani locus in Adriano, quem ſupra deſcripſi. *Senatoribus, qui non vitio ſuo decoxerant, patrimonium pro liberorum modo Senatoriæ profeſsionis expleuit: ita vt plerisq; in diem vitæ ſuæ dimenſum ſine dilatione reddiderit*. Ex quibus verbis intelligere eſt, & datum Sena-

toribus

toribus etiam ante illa tempora frumentum & dari deſitum ijs,qui decoxiſſent. Ad hæc aratores,ac negotiantes ab Auguſto admiſſos ad frumentationem prodere videtur Suetonius cap. XLII. cum narrat poſt magnam illam famem, quæ Auguſtum prope impulit ad abolendas publicas frumentationes, ita ab eo rem temperatam, *vt non minorem aratorum ac negotiantium,* quam *populi rationem deduceret*. Quamquam mihi de hac re attentius cogitanti non videtur Auguſtus hoc conſilio plebem auocaſſe ab ignauia, ac deſidia, & ad agriculturam traduxiſſe. Si enim vna cum induſtrijs & nauis admittebantur adhuc ad frumentationes ignaui & otioſi, quid erat, cur quiſquam commoueretur,& vitam duram,ac laborioſam præponeret inerti ac ſecuræ? Patebat adhuc via,quam omnino præcluſam oportuit ab eo,qui cuperet aliquid promouere. Niſi forte certus aliquis aratorum ac negotiantium numerus ita eſt admiſſus ad publicas frumentationes, vt in locum demortuorum nonniſi eiuſdem farinæ homines ſublegerentur. Ex quo conſilio fructum aliquẽ capere Auguſtum potuiſſe non nego: veruntamen hæret mihi in animo ſuſpicio alterius ſententiæ, quæ lateat ſub illis verbis. Potuit enim Auguſtus alia quapiam ratione aratorum ac negotiantium commodis proſpicere: præſertim immunitate, qua interiecto tempore donatas a Nerone frumentarias naues ex Tacito diſcimus lib. XIII. Poſtremo prætorianis militibus dedit idem Nero gratuitam annonam Suetonio teſte cap. X. & Tacito lib. XV. Hos omnes, quicunque capiebant publicum frumẽtum, intelligendum eſt in vrbe domicilium habuiſſe. Res clara ex Plutarcho, Plinio, Dione, Lapide Ancyrano. Et iure ſane hoc fuit inſtitutum. Neque enim fas eſt, vt Caſsiodori verbis vtar, vt *qui vrbis affectum domicilij indicio monſtrare neglexerint, eius commodis perfruantur*. Sed ne id quidem,vt frumentum quis caperet, ſatis fuit. Nam recipi

cipi ante , & in album referri oportuit. Hanc Græci *ἀπογραφὴν*, & *ἐξέτασιν*, noſtri recenſum, & recenſionem vocant, quam ſtante Republica fuiſſe vſurpatam ex Cicerone intelligimus in Miloniana. *Eum* (Clodium) *qui ædem Nympharum incendit, vt memoriam publicæ recenſionis tabulis publicis conſignatam extingueret*. Sed & Suetonius idem ſignificat in Cæſare cap. XLI. actum ab eo recenſum nec more, nec loco ſolito prodens. Locum ſolitum fuiſſe campum Martium; morem, vt per Cenſores, & publicos Scribas negotium cōficeretur ſunt viri doctiſſimi, qui velint. Sed vt de Cenſoribus dubitem, facit Dionis de Pompeio locus, quem ſupra recitaui. Ex eo intelligitur, hos recipere, illos reijcere in eorum, qui curabant frumentum, poteſtate fuiſſe. Sed Cæſar Dictator hoc quoque mutauit, & recenſu acto inſtituit, vt quotannis in demortuorum locum ſubſortitio à Prætore fieret ex his, qui recenſiti non eſſent. Ita res ex arbitraria facta fortuita, & a gratia traducta ad ſortem. Recenſitis dabantur teſſeræ, quas vendi quia nulla vetabat lex, fiebat non raro, vt qui eas emerant, quamquam recenſiti non erant, acciperent nihilominus frumentum. Væniſſe autem eas vili, non ſolum poteſt conijci ex eo, quod tantiſper erant, vt ita dicam, frugiferæ, dum ijs, vnde erant emptæ, vita ſuppeditabat; ſed intelligitur etiam ex Iuuenalis verſibus e Satyra VII. ſupra capite IV. deſcriptis. Cetera, quæ ſunt huius propria, apud Lipſium legantur.

De

De numero accipientium publicum frumentum. *Cap. VII.*

ALtera de numero accipientium quæſtionis pars multo eſt obſcurior, ſed contendam, qua potero, ei quoque lucem dare. Ante legem Semproniam vix adduci poſſum, vt credam certum fuiſſe numerum *τῶν σιτοδοτουμένων*. Quid mirum? cum rara eſſet, incertaque largitio, & nunc maior, nunc minor frumenti numerus aduheretur. C. Gracchus non dubito, quin de hac quoque re lege cauerit; ſed quam multi acceperint eius beneficio, nondum potui ſubodorari. Paribus tenebris circumfuſæ ſunt leges Appuleia, & Liuia. Numerum accipientium lege Terentia indagaui nec ſatis certis, nec niſi leuiter impreſſis veſtigijs apud Ciceronem frumentaria, quo loco agit devenditis a Verre Agyrinenſium decumis. *Imperas*, inquit, *vt decumas accipiant; Apronio dent lucri tritici medimnum XXXIV. M. Quid eſt hoc? Vna ciuitas ex vno agro plebis Romanæ prope menſtrua cibaria donare Apronio cogitur?* Menſtrua cibaria alterutro horum modorum inrerpretemur neceſſe eſt; aut frumentum,quo empto plebs Romana vitam tolerabat,aut quo publice donabatur. In emptum, quæ Cicero dicit,non cadere ſi oſtendero,non leui ac futili coniecturam meam argumento confirmaro. Nam de frumento Romam vndecumque importato,ſiue id Siculum eſſet,ſiue inuectum ex alijs prouincijs, vt eo plebs R. vniuerſa vteretur,hæc accipi nullo modo poſſunt. In vrbe enim omnium, quas ſol aſpiceret, maxima,quis non vltro det fuiſſe amplius CCCC. M. plebis vrbanæ? Alioqui Romam pro eius magnitudine adeo a veteribus celebrata

fecerit ὀλιγάνθρωπον, & parum frequentem. At ſubducta ratione hanc multitudinem minimum CC. M. medimnum menſtrua abſumpſiſſe comperiemus, vt ſingulis tribuantur modij terni. Qui ingens frumenti numerus a XXXIV. millibus medimnum a Cicerone expreſſis abeſt tam longe, vt nullo modo tam impudenti mendacio fucus fieri iudicibus potuerit. Sequitur vt de Siculo tantum frumento hæc accipiamus ſed cum duæ ſint exactæ ab Siculis decumæ, vtrum ad vtraſque hæc pertinere cenſebimus, an ad alteras? Decumani frumenti, & ex S.C. empti numerus fuit in ſingulos menſes C. M. medimnum, vt conſtabit ex capite X. Qui autem dicat XXXIV. M. eſſe prope centena millia, is non & calumnietur aperte, & iudicum odium a reo in ſe conuertat? Reſtat igitur, ſi de frumento Romæ vænali hæc à Cicerone ſunt ſcripta, ad alteras tantum decumas vt pertineant, quæ fuerunt medimnum L. M. Vitant, fateor, qui ita locum hunc interpretantur, eam rationem, qua ſunt ſuperiores ſententiæ iugulatæ. Nam ſi oratorum in augendo ſpectetur cõſuetudo, negari non poteſt, quin L. M. ad XXXIV. proxime accedant. Hanc igitur vitant rationem, ſed in alias incurrunt. Nam quæri poteſt primum, de vtris hæc dicta putẽt Siciliæ decumis? neque enim diſcernit orator. Deinde cum vtræque, vt ex multis orationis illius locis conſtat, ſint Romam miſſę, cur alterarum tantum ratio habeatur? Quod autem quis dicat, cum præter eum, de quo diſputamus, duo ſint eiuſdem orationis loci, in quibus demptum eſſe a Verre de P.R. victu frumentum, & altam a Siculis plebem R. affirmat, hique omnes loci in ea ſint orationis parte, in qua de primis decumis agitur, de his tantum omnes accipiendos videri: hæc inquam quod quis dicat, me non prius commouebit, quam doceat, aut alteras decumas Romam miſſas non fuiſſe: aut aliam vllam fuiſſe cauſſam, cur mitterentur, quam *vt populo R. ſatis fru*

menti

menti ex Sicilia ſuppeditaretur; aut quid ſibi Cicero velit, cum de emptis decumis diſputans datam ait Verri pecuniam *ad frumentum, ideſt ad neceſsitatem ſalutis & vitæ*. Nam ex his iunctis aut fallor, aut efficitur, hoc quoque frumentum in plebis R. vſus imperatum atque aduectum fuiſſe. Redeo igitur ad ſuperiorem illam rationem, & quæro, cur eius in menſtruis P. R. cibarijs ratio non habeatur. Qui reſpondere non poterit, ſi, quam imbibit, opinionem mordicus retinebit, fateri cogetur ſe in hoc loco interpretando non tam ratione, quam arbitrio ſuo niti, pluſque de ſua, quam de Ciceronis ſententia laborare. Quando igitur neque de omni frumento publico, quod erat Romæ vænale, neque de Siculo, ſiue vtraſque ſiue alteras tantum decumas ſumamus, hæc ſcripta videntur, quid reſtat, niſi vt ſignificari dicamus Ciceronis verbis menſtruam annonam lege Terentia plebi donatam eo triennio, quo Verres fuit in Sicilia? Sed certus frumenti numerus latet. Id vnum ſcimus Cicerone auctore acceſſiſſe eum ad medimnum XXXIV. M Hac igitur quaſi face prælucente progrediamur coniecturis quamminime audacibus. Imminuit orator modum frumenti ad crimen augendum, nos eum amplificemus, & producamus vel ad L.M. medimnum: qua ratione fiet ad illum tertiæ circiter partis acceſſio, adeo non leuis, vt fortaſſe ne orator quidem tantum detrahere ſit auſus, cum verſaretur in re omnibus nota & aperta. Medimna ſingula modios Romanos capiunt ſex. Erunt igitur menſtrua modium Romanorum CCC. M. quæ ſufficiunt hominum LX. Millibus alendis, vt modus frumẽti fuerint modij quini. Aut igitur hæc ipſa, aut circiter tanta, mea quidem ſententia non maior hominum multitudo lege Terentia publicum frumentum accepit. At Senatuſconſulto, cuius auctor fuit M. Cato, conijcere poſſumus admiſſa ad frumentationem hominum M. circiter C. ex ſumptu, quẽ factum

quotannis in eam rem tradit Plutarchus. Is ſumptus fuit DCCL.M. ſcutatorum aureorum. Cum enim frumentum lege Terentia diuidendum tradat Cicero in frumentaria emptum in Sicilia HS quaternis in modios ſingulos, Romæ pluris fuiſſe neceſſe eſt, niſi ſi aut claſſes, quibus aduehebatur, nullo Reipubl. ſumptu nauigarunt, aut faciendi non fuerunt alij ſumptus eo maiores, quod frumenti pars multo maxima e regionibus quam Sicilia remotioribus petebatur. Ponamus igitur frumentnm Romæ fuiſſe in modios ſingulos HS. quinis, & paullo amplius; & quidquid excurrit, refectum Reipublicæ ſemiſſibus ac trientibus, quos numerabat plebs, atque hac ratione datos inueniemus ex hoc S C. modios quinos quot menſibus centum hominum millibus. Accipiebant enim ſinguli quotannis modios ſexagenos, qui ea, quam ſtatui, æſtimatione HS. quinum, valebant aureos ſcutatos ſeptem cum ſemiſſe. hi centies millies ducti reddent ad aſſem ſummam illam Plutarchi DCCL. M. Sed tamen quia ſumptuum Reipubl. modum tenere ad vnguem non poſſumus, vna etiam certum accipientium numerũ ignoremus neceſſe eſt. Sed non erit procul a vero, qui circiter tantum, omnino autem maiorem, quam lege Terentia fuiſſe exiſtimabit. De Clodia priore nihil habeo dicere, præter ea, quæ capite II. extremo ſunt dicta. Hac igitur miſſa veniamus ad C. Cæſarem, qui cum per ſeditiones & bella ciuilia plurimi, vt fit, irrepſiſſent nullo iure in has largitiones, iamque eſſent CCCXX. M. accipientium publicum frumentum, anno V. C. DCCVII. recenſu acto ad CL. M. retraxit. auctor Suet. cap. XLI. & Dio libro
XIIX. XLIII. cuius verba Lipſius male interpretatur. Quãquam enim ad partem dimidiam redactos prodit, quæ ſunt CLX. M. addit tamen ὁμοῦτι, ideſt ferme, vt aliquanto pauciores fuiſſe intelligamus, quamquam ipſe, vt fit, rotunda ſumma vtitur. Idem numerum a Cæſare imminutũ

innuit

innuit ipſis triumphi diebus, vt ad pauciores largitio perueniret. Neuter tamen rem ita prodit, vt intelligere liceat reduxerintne Cæſar veterem numerum, an modice auctũ ierit. Lipſius reuocatum veterem credit: mihi in re incerta, & probabili placet altera ſententia, non ob eam ſolum cauſſam, quod in homine populari fuit hoc magis populare, ſed etiam vt ciuibus tenuioribus, & obæratis, qui, cùm nihil haberent in cenſu, collocarant in Cæſare ſpem ſuam, & ab eius partibus ſteterant, gratia ex parte aliqua rependeretur. Vt vt eſt (dubitare enim malo, quam ſtatuere) denuo certum hunc numerum eadem cauſſa reddidit incertum, ideſt bella ciuilia, quæ poſt Cæſaris necem exarſerunt. Sed eum Auguſtus ita denuo coarctauit, vt tamen pateret latius, quam antea, & paullo plures CC. Millibus eſſent, qui accipiebant publicum frumentum. ipſemet teſtis in breuiario rerum a ſe geſtarum, & impenſarum, quas in Rempublicam, & P.R. fecit: cuius capita quædam non abs re erit aſcribere, & examinare. XIX.

I. ITERVM. AERE. MEO. VIRITIM. CONSVL. VNDECIMVM. DVODECIM. FRVMENTATIONES. FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO. EMENSVS. SVM. ET. TRIBVNITIA. POTESTATE. DVODECIMVM. QVADRINGENOS. NVMMOS. TERTIVM. VIRITIM. DEDI. QVALIA. MEA. CONGIARIA. FRVMENTI . . . . . . NVM. NVNQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA . . . . . SIA.

II. CONSVL. TERTIVM. DECIMVM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QVAE. TVM. FRVMEMTVM. PVBLICVM. ACCE. . . . DEDI. EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA. FVERVNT.

In II. capite expreſſus eſt numerus accipientium publicum frumentum. ea millia hominum paullo plura, quam ducenta fuerunt. Auguſtus XIII. conſulatu, quem geſſit anno V. C. DCCLII. largitus eſt ſingulis denarios ſexagenos, cum L. filium ſuo tyrocinio deduxit in forum. Idem prope numerus eſt apud Dionem libro LV. *ὁ δὲ Αὔγουστο τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδοτουμένου πλῆθος ἀόριστον ὄν, ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε, καὶ ὥσγε τινὲς λέγουσιν, καθ' ἕνα ἑξήκοντα δραχμὰς ἔδωκε. Auguſtus frumentantium multitudinem minime certam ad M. CC. redegit, & viritim ſexagenos denarios, vt quidam auctores ſunt, dedit.* Quamquã autem hunc recenſum factum Dio tradit anno V. C. DCCXLIIX. C. Antiſtio Vetere, & D. Lælio Balbo Coſſ: ideſt quadriennio ante XIII. Auguſti conſulatum, non ta-
XX. men ab eius breuiario diſſentit. Hoc enim tantum dicit Auguſtus, ſe conſulem decimum tertium, congiarium dediſſe plebi, quæ per id tempus frumentum accipiebat: nec
XXI. video, vnde Lipſius expiſcetur, factum ab eo hoc anno populi recenſum. Immo illis verbis. PLEBI. ROMANAE. QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCIPIEBAT. (ſic enim cenſeo lacunam illam explendam) non obſcure videtur ſignificare ſolitam per ea tempora accipere tantam multitudinem, non autem a ſe tum primum redactam ad M. CC. Non ſolum igitur non errauit Dio, ſed prodidit etiam accuratiſſime, quo primum anno recenſus ſit factus. Quod autem addit de drachmis LX. valde vereor, vt Lipſio errandi anſam præbuerit. Nam prima fronte id eſſe, quo de hic agit Auguſtus, congiarium videtur. at hoc datum eſt XIII. conſulatu: eodem igitur populus recenſitus. Procederent recte omnia, ſi idẽ eſſet congiarium; ſed non eſt, imo aliud, quod ex quorundam ſententia præter hoc dedit Auguſtus, quadriennio ante decimum tertium conſulatum, cum plebẽ recenſuit. Cum igitur ab alijs hiſtoricis grauibus fortaſſe, neque in-

diligenti-

diligentibus id memoriæ proditum reperiſſet Dio; contra in hoc Auguſti breuiario, quo non dubito, quin ſit vſus, nullam eius mentionem: tutum cepit conſilium, vt defugeret auctoritatem, & habere ſe ſcriberet auctores huius rei, affirmaturus eam certius, ſi ab ipſo Auguſto proditam reperiſſet. Hæc dici poſſunt pro Dione ἀναχρονισμοῦ reo. Supereſt leuis in numero accipiētium varietas. Nam Dio M.CC. fuiſſe tradit; Auguſtus paullo plura. Dicerem poſitam a Dione ſummam rotundam, vt ſæpe alias ab omnibus ſcriptoribus, ni procliue eſſet cōijcere nōnullos eo quadriennio receptos vltra illam certam ac definitā multitudinem. De numero autem accipientium ante recenſum nihil habeo, quod liqueat. Dio cum ſcribit fuiſſe πλῆθος ἀόριστον, ſatis indicat ob eam præcipue cauſſam a ſe omitti, quod fuerit ſemper varius & incertus. Sed tamen cum recenſus eſt actus, quantus fuit? Vir doctiſſimus optime de multis veteribus ſcriptoribus meritus, de congiario ſcribens, quod in his fragmentis prodit Auguſtus a ſe datum trecentis viginti millibus plebis vrbanæ, ſuſpicantur, quamquam ad congiaria, quam ad frumentationes maior hominum numerus admittebatur, tamen etiam frumentum accipientium ante Auguſti conſtitutionem hunc numerum fuiſſe. Neque habeo cur probem, neque cur reiiciam hanc ſuſpicionem. hoc tantum noto, datum id congiarium anno V. C. DCCXLIX. cum ſuperiore factus eſſet recenſus. Fortaſſe igitur nihil huic multitudini cum ea, quam quærimus, rei eſt.

Priore fragmentis huius capite (libuit enim in eo deſcribendo ſequi Auguſti ordinem, in explicando autem noſtrum) eorum numerus continetur, qui acceperunt frumentum priuata pecunia coemptum ab Auguſto. Quæ autem in eo ſunt corrupta & mutila, poſſunt priſtinæ integritati, aut ſaltem ſententiæ reſtitui ad hunc modum.

QVAE. MEA. CONGIARIA. ET. FRVMENTVM. AC-

ACCEPERVNT. HOMINVM. NVNQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. MILLIA. Nam a capite ſuperiore, cuius initium eſt LIBRI. ROMANI. ſiue vt arbitror reponendum, PLEBI. ROMANAE. vſque ad hoc Auguſtus nummarias & frumentarias largitiones exſequitur. Suppleui autem ACCEPERVNT. HOMINVM. ijs reiectis, quæ ad hanc lacunam explendã Lipſius affert, quia viſus ſum mihi ſequi Auguſtum ducem, eiuſque veſtigijs inſiſtere. Nam duo ſunt in largitionibus ſingulis præcipua, quæ ille ſibi memoriæ mandanda propoſuit; quid dederit, & quam multis dederit. Cum igitur ſe duodecim frumentationes emenſum iam dixiſſet, proximum erat, vt eorum aſcriberet numerum, qui acceperant. Quamquam autem his addi tertium caput poteſt, quantum dederit; hoc tamen in ſolis expreſſum nummarijs largitionibus videmus. Vbi enim certus erat frumenti numerus apponendus, ſatis habuit Auguſtus ſcribere infinite, datas a ſe duodecim frumentationes. id quod ex horum fragmẽtorum inter ſe collatione verum
XXII. eſſe conſtabit. Non poſſum igitur Lipſio aſſentiri, qui hunc locum ita legit. QVALI. MEO. CONGIARIO. FRVMENTI. MODIVM. NVNQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. MILLIA. non ſolum quia non aſſequor, quid ſibi velit his verbis; vtrum datum ſingulis modium, an vero nunquam minus largitionibus ſingulis effuſum ducentis quinquaginta modium millibus: verum etiam quia multis partibus maiores ſunt, & digniores Auguſti liberalitate, ac prædicatione largitiones, quæ numero accipientium ſignificantur. Nam ducenta quinquaginta modium millia, vt ſingulis dati fuerint modij quini, acceperunt hominum quinquaginta millia: at ex noſtra emendatione frumentum, & omnia congiaria, de quibus ſupra facta erat mentio (nam hic numerus pertinet ad omnia) nunquam minus acceperunt

hominum

hominum CCL. M. Neque hæc modo, ſed multa præterea me adducunt ad reijciendam æque illam alteram eiuſdem emendationem. FRVMENTANTIVM. NVM. NVNQVAM. MINVS. QVINQVAGINTA. ET. DVCENTA. MILLIA. Namque Auguſtum tam peruerſe loquutum nemini vnquam poterit perſuaderi, qui Suetonium legerit capite LXXXVI. Illene ita loquatur, & eleganter ſe loqui prædicet? Illene vitet ineptias, qui ſenſa animi ſui verbis illis exprimit apertius, quam his? FRVMENTANTIVM. NVMERVS. NVNQVAM. MINOR. DVCENTIS. QVINQVAGINTA. MILLIBVS. His adde, quod non eſſe præteritum numerum eorum, quibus pecuniam erat dilargitus, clamant reliqua omnia breuiarij huius fragmenta. At is, qui ſit expreſſus, non video. Sed & illa compendiaria nota NVM. aliena eſſe huic tabulæ videtur. Poſtremo vna eademque ratione poteſt vtraque emendatio iugulari. Cum enim duæ ſint capitis partes, prior de frumentaria, poſterior de nummaria largitione, atque huic non illi corrupta hæc verba ſubijciantur, cur ſola frumenti mentione concluditur? cur hæc transferuntur in locum alienum, quæ poſſunt commode collocari in ſuo? ſed de his iam nimis multa. Permittamus rem totam iudicio eruditorum; & ab Auguſto ad Tiberium tranſeamus, a quo auctum numerum accipientium frumentum colligit Lipſius ex his Taciti verbis lib. VI. *iiſdem Coſſ:* (Cn. Domitio & M. Furio anno V. C. DCCXXCV.) *grauitate annonæ iuxta ſeditionem ventum. multaq; & plures per dies in theatro licentius efflagitata, quã ſolitũ aduerſus Imperatorẽ: queis cõmotus incuſauit magiſtratus Patresq; quod non publica auctoritate populũ coercuiſſent: addiditq; quibus e prouincijs, & quanto maiorem quam Auguſtus rei frumentariæ copiam aduectaret.* *Si auxit*, inquit Lipſius, *numerum frumenti, ergo & frumentantium.* Præclare: ſi quidquid frumenti Romam aduehendum Tibe- XXIII.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

rius curabat,largitionibus effundebat. Sed eum arbitror omnium vrbem colentium commodis conſuluiſſe, item vt Auguſtum,qui ſuſcepta rei frumentariæ procuratione, Pompeij exemplo ciuitati vniuerſæ commeatum ſuppeditauit: imo habuit etiam frumentum vænale, vt Suetonij teſtimonio ſupra confirmauimus. Hoc igitur munus vna cum imperio,cui erat annexum,cum ſuſcepiſſet Tiberius, incidiſſetque aliquando caritas annonæ, prope abſuit populus a ſeditione facienda, non tamen in theatro abſtinuit a verborum licentia, & ab efflagitanda aut cura maiore in aduectione frumenti, aut aliqua largitione. Hanc eo tempore minime populari, aut liberali ſeni, qualem eum deſcribit Suetonius, exprimere non potuit: illam, quanta eſſet, Tiberius oſtendit, cum inuecto in vrbem e multis prouincijs ingenti frumenti numero victum docuit a ſe ipſum Auguſtum. Hæc mihi verborum Taciti apertiſſima, & minime dubia videtur ſententia, quam eo amplector libentius, quod inani ac leui vſus eſſet excuſatione Tiberius,ſi verbum vllum de aucto a ſe numero frumentantium feciſſet.Quid enim? tu quaſi in ſpecula conſtitutus, vt excubes, & inuigiles pro Populo Romano vniuerſo, desque operam, ne inopia prematur rei frumentariæ, defunctum te putas munere tuo,admiſſa quota plebis parte ad publicas frumentationes? Dabat Auguſtus annonam gratuitam millibus ducentis: Tu numerum auxiſti: fac eſſe trecenta. Reliqua multitudo vrbem colentium ea maior, quam tu alis, amplius duodecim partibus quid faciet? quis illi proſpiciet? a quo annonam efflagitabit? An a Præfecto? at nos te huic curationi præfecimus. Tu vide, cui mandaris, atque ab eo, diligentiam exige, quam tu nobis debes. Hæc in Tiberium friuola excuſatione culpam ſuam prætexentem iactare potuit plebes Romana: quamobrem ipſe alteram arripuit, à qua non ſunt aliena,quæ apud Tacitum legimus.

lib.

lib.IV. *Plebes acri quidem annona fatigabatur, ſed nulla in eo culpa ex Principe. Quin infecunditati terrarum, aut aſperis maris obuiam ijt, quantum impendio diligentiaq́ poterat.* Atque hac ratione plebi ſatisfacere Tiberius conatus eſt, non mentione vlla frumentariæ largitionis. Poſt Auguſtum Nero, quod quidem memoriæ proditum ſit, primus frumentantium numerum auxit, donato militibus Prætorianis, qui erant eo ſæculo minimum decem millia, frumento gratuito, quo ante ex modo annonæ vtebantur, vt ſcribit Tacitus lib. XV. & Suetonius in Nerone capite X. Ab hoc tempore nihil certi reperio vſque ad imperium Seueri, qui quam multis dederit publicum frumentum, non obſcure docet Xiphilinus his verbis. ὁ δὲ Σεβῆρος ἐπὶ τῆς δεκετηρίδος τῆς ἀρχῆς αὐτοῦ ἐδωρίσατο τῷ τε ὁμίλῳ παντὶ τῷ σιτοδοτουμένῳ (ita enim legendum, non σιτοδουμένῳ, vt habent optimi etiam codices impreſſi) καὶ τοῖς στρατιώταις τοῖς δορυφόροις ἰσαρίθμους τοῖς τῆς ἡγεμονίας ἔτεσι χρυσοῦς. ideſt. *Seuerus cum decennalia imperij celebraret, vniuerſæ frumentantium multitudini, militibusq́ Prætorianis tot aureos donauit, quot annos imperauerat.* Et mox. εἰς τὴν δωρεὰν ταύτην πεντακισχίλιαι μυριάδες δραχμῶν ἀνηλώθησαν. ideſt. *In id congiarium quinquies mille drachmarum myriades ſunt erogatæ.* Quinquies mille drachmarum myriades ſunt denarium quingenties centena millia, aut more Romano H S bis millies, aureorum noſtrorum quinque milliones, vt vocant, veterum autem duntaxat vicies centena millia. Si igitur deni ſunt ſingulis dati, accepere id congiarium hominum rotunde millia ducenta, totidemque per ea tempora publicum frumentum. Hæc mihi haud paullo certior frumentantium multitudinis Seuero imperante inueſtigandæ ratio videtur, quam ea, qua viri doctiſſimi e Spartiani verbis ad millia ſexcenta acceſſiſſe collegerunt. Hic obſeruo, quamquam modo non par fuit numerus eorum, qui gratuitam annonam acci-

piebant ab Auguſto & Seuero; id tamen fuiſſe diſcriminis, quod ille Quiritibus tantum dabat, hic militibus etiam Prætorianis, qui ſi fuerunt per ea tempora quadraginta millia, vt Lipſio placet, Quiritium numerum redactum oportuit ad M.CLX. Huius rei prima initia non comperi: ſuſpicor tamen cœptum minui a Nerone plebis numerum, cum anno imperij X. ſuſtulit, vt dixi, publicam frumentationem, XI. autem gratuitam annonam Prætorianis dedit. Eius veſtigia reliqui, opinor, Imperatores ſequuti. Quæret quiſpiam, fueritne vllum tempus, cum ciues omnes caperent publicum frumentum. Non videtur; & Senecæ locus lib. IV. de beneficijs capite XXVII. qui obſtare videbatur, fuit egregie a Lipſio in Admirandis explicatus. Neque eſt quod quiſquam commoueatur ijs largitionibus, quæ ante legem Semproniam ſunt factæ, in quibus memoriæ mandandis Plinius & Liuius quaſi de induſtria & compoſito vtuntur populi nomine, quo vno ciues omnes continentur. Plebem enim eo ſignificatam fuiſſe docebunt cum alij multi, tum vero Liuij libro II. & Valerij Maximi lib. IV. capite IV. de Agrippæ Menenij paupertate loci inter ſe collati. Hæc de accipientium numero obſeruabam.

De ijs, qui curabant publicum frumentum. *Cap. VIII.*

CVM de ijs dixerimus, qui accipiebant publicum frumentum, proximum eſt, de ijs vt quęramus, quibus commiſſa erat curatio ac diſtributio. Et curatio quidem fuit vno verbo eorum, quibus Romæ impoſita erat publica annona, quos qui fuerint, paucis expediam. Regibus pulſis rem ſuſcepit Senatus:

tus; mox Aedilibus plebis hæc Reipublicæ pars mandata eſt; ſemel extra ordinem ad L. Minutium, deinde ad Aediles curules translata, diuque geſta præclare, vſque ad legem Semproniam, qua lege Gracchus an Aedilium curulium operam repudiarit, & ad alios hanc curationē tranſtulerit, non habeo dicere. Sane poſt legem Terentiam, quæ fuit Sempronia quinquaginta annis recentior, Prætorem de maieſtate curam geſſiſſe publici frumenti conſtat ex Pædiani argumento in Cornelianam. vbi hæc leguntur. *Detulit nomen* (C. Cornelij) *Publius, ſubſcripſit Caius; & cum L. Caſſius Prætor decimo die, vt mos eſt, adeſſe iuſsiſſet, eoq; die ipſe non affuiſſet, ſeu auocatus propter publici frumenti curam, ſeu gratificans reo:* cum ijs, quæ ſequuntur. L. Caſſius Prætor fuit M. Lepido, & L. Volcatio Coſſ. anno V.C. DCXXCVII. ideſt ſeptennio poſt latam legem Terentiam: vt mihi veniat in mentem ſuſpicari, ſi Aediles curules frumentaria procuratione altera harum legum ſoluti ſunt, Terentia potius, quam Sempronia ſolutos. Nam Gracchum inſenſum Patribus, quis credat gratiam eius legis, qua reddere plebem ſibi obnoxiam parabat, cum Prætore communicaſſe? Terentium contra veri admodum ſimile eſt, aucto mirum in modum lege ſua numero frumenti vrbi inferendi, eiusque largitione reuocata, maiorem magiſtratum ei curationi præficiendum putaſſe, non ſolum vt prouinciam hanc adminiſtraret maiore auctoritate, verum etiam vt eſſet in poteſtate Senatus. Terentiæ ſucceſſit lex Clodia, qua Sex: Clodio homini impuriſſimo quidquid vſpiam frumenti fuit, traditū eſt. Cicero pro Domo ſua. *Scilicet tu homini egentiſſimo, & facinoroſiſſimo Sex. Clodio omne frumentum priuatum & publicum, omnes prouincias frumentarias, omnes mancipes, omnes horreorum claues lege tua tradidiſti.* Et mox. *Quæritur etiam importuna peſtis ex ore impuriſſimo Sex. Clodij rem frumentariam eſſe ereptam, ſummiſq; in periculis*

XXIV

riculis eius viri auxilium imploraſſe Rempublicam, a quo ſæpe ſe & ſeruatam, & amplificatam eſſe meminiſſet. Is autem ſummus vir erat Cn:Pompeius, cui extra ordinem anno V.C. DCXCVI. altero a lege Clodia poteſtas rei frumentariæ toto orbe terrarum per quinquennium data eſt, Cicerone ſuadente, nuper ab eo in patriam reſtituto. Procurauit igitur annonam Pompeius vſque ad annum ab V.C. DCCI. quo Prætoribus denuo eſſe hoc onus impoſitum ſuſpicor, non affirmo. Creati deinde ſunt a Cæſare Dictatore Prætores duo, totidemque Aediles Cereales anno V.C. DCCIX. eodemque anno Brutus & Caſſius Prætores, ille inter ciues, hic inter peregrinos cum Cæſare cæſo iuriſdictione vrbana abſtinerent, neque ire ante tempus in prouinciam honeſtum ac decorum putarent S:C extra ordinem ita rei frumentariæ ſunt præfecti, vt Brutus in Aſia, Caſſius in Sicilia frumẽtum emendum, & ad vrbem mittendum curarent. qua illi curatione vt contumelioſa & ſordida vſi non videntur. Appianus ciuilium III. Cicero XV. ad Atticum epiſtola IX. & ſequentibus. Anno ab V.C. DCCXXXI. plebs Auguſtum, concurſu ad eum facto ſtimulante famæ, annonæ procuratione ſuſcipere coegit. Sed eo adhuc ſuperſtite alter creatus eſt annonæ Præfectus, qui vtrum Auguſto ſe vltro abdicanti ſucceſſerit, an vero ſit aſcitus ab eo tamquam collega in hac procuratione, nemo, quod ſciam, veterum tradidit. Illud conſtat Auguſtum aliena opera vſum in hoc negotio. Tradit enim Suetonius capite VIII. Tiberium ciuilium officiorum rudimentis adminiſtraſſe curam annonæ, quæ arctior inciderat. Porro illa rudimenta quæ fuerint, docet Velleius. *Quæſtor vndevigeſimum annum agens capeſſere cæpit Rempublicam, maximamq; difficultatem annonæ ac rei frumentariæ inopiam Oſtiæ, atque in vrbe mandato vitrici moderatus eſt.* Iam nemo non videt Auguſtum annonæ Præfectum impoſuiſſe Tiberio quæſtori partes

ſuas

ſuas,& quidem eo ipſo anno,quo eas ſuſceperat. Quamquam enim Velleius, vndeviceſimum annum cum ageret,Quæſtorem Tiberium fuiſſe prodit,annos tamen exactos numerat,non eum, quem attigerat,cum quæſturam inijt, qui fuit reuera viceſimus, in eum ipſum incurrens, quo Auguſto rei frumentariæ cura mandata eſt. Quare prope eſt,vt affirmem Turranium etiam,quem Præfectũ annonę Tacitus vocat lib.I.Annalium,curatorem potius, X X V.
& quaſi vicarium Auguſti fuiſſe,atque hinc factum, vt in verba Tiberij iurarit inter primos poſt Præfectum Prætorij,vt ibidem Tacitus nôtat. Cuius rei illud quoque eſt argumento, quod neque Principes vnquam hanc curam exuerunt,quæ fuit inter maxima imperij firmamenta; & plebs fame preſſa non a Præfecto annonæ, ſed a Principe frugum copiam exegit. Vidimus ſupra quantis animis in Tiberium iam rerum potitum plebs ierit in fame. Claudium vero ius medio foro dicentem ita circumuaſit clamoribus turbidis,& fragminibus panis appetijt, vt ſæptus militum globo ægre ſe in Palatium reciperet,vt ſcribit Tacitus libro XII. & Suetonius capite XVIII. qui addit Claudium commotum hac ſeditione nihil non excogitaſſe ad inuehendos etiam tempore hiberno commeatus. Quare & negotiatoribus certa lucra propoſuiſſe,ſuſcepto in ſe damno,ſi cui quid per tempeſtates accidiſſet: & naues mercaturæ cauſſa fabricantibus magna commoda conſtituiſſe. cum tamen Claudio imperante annonæ Præfectus eſſet Turranius ex Tacito libro XI. Ad hæc Antoninum cognomento Pium ob inopiæ frumentariæ ſuſpicionem lapidibus a plebe Romana petitum narrat Victor. Quibus ſeditionibus admoniti Imperatores muneris ſui, rei frumentariæ ſtudioſiſſime proſpexerunt. Teſtes nummi veteres,quorum multi extant cum hac inſcriptione. ANNONA. AVGVSTA. ideſt Imperatore curante copioſe vrbi illata. De his nummis legendus Antonius

nius

nius Auguſtinus Dialogo. II. Teſtes etiam ſunt veteres ſcriptores, qnorum Plinius in Panegyrico Traianum hoc nomine miris in cœlũ laudibus euehit. Xiphilinus in Pertinace ſcriptum reliquit, cum Lætus in eum coniurauit, & Falconem conſulem Imperatorem creauit, Pertinacem ad mare fuiſſe commeatum inſpicientem. Seuerus denique tantam rei frumentariæ curam geſſit, vt ſeptem annorum canonẽ moriens reliquerit, ita vt quotidie LXXV. modium millia expendi poſſent: auctor Spartianus. Quæ autem hoc loco ſunt a me collecta ad confirmandam ſuperiorem illam coniecturam meam, qui perpenderit, is fortaſſe Præfectum annonæ appellatum, reipſa curatorem & vicarium Principis fuiſſe mihi aſſentietur. Cum præſertim accedat ſuperioribus non leue argumentum, quod aucta adeo Præfecti prætorij auctoritate, vt imperium tantum non vice ſacra moderaretur, ferret certe molem omnium curarum, hæc quoque procuratio ei delata eſt. *Triticas enim copias*, vt eſt apud Caſſiodorum in formula Præf. annonæ, *Præfectura prætoriana procurat*. Qui igitur frumenta in vrbem conuehenda curarunt, hi ſunt.

De his qui frumentum diſtribuerunt. Cap. IX.

FRumentum publicum plebi diſtribuere alijs alij temporibus. Dum ſtetit Reſpublica, ijſdem ferme, qui annonam procurabant; Aediles plebis, Curules, L. Minutius extra ordinem, vt iam demonſtrauimus. Lege Sempronia quis diſtribuerit non liquet: ſed Gracchum ipſum præfuiſſe, aut ſaltem adfuiſſe, cum frumentum plebi daretur, ex ijs intelligimus Ciceronis verbis Tuſculana. III. quæ capite VI. recitauimus.

citauimus. Poſt legem Terentiam, vt curam geſſiſſe publici frumenti Prætorem, ita etiam diſtribuendum curaſſe veri haud abſimile eſt. Poſt Clodiam Pompeius extraordinaria annonæ præfectura frumẽtum etiam donauit, auctore Dione libro XXXIX. Biennio poſt, anno V.C. DCCIII. C. Curio tribunus plebis legem alimentariam iactauit, qua iubebat Aediles metiri. Cœlius ad Ciceronem libro VIII. epiſt. VI. ſed eam latam non prodit. Idem legis Viariæ, quæ non diſſimilis eſſet Agrariæ Rulli, eodem loco mentionem facit, de qua non erit abs re Lipſij exemplo pauca obiter diſputare. Sunt, qui eam XXVI.
legem vocent Viuariam, quæ quid fuerit, certa coniectura non aſſequor. niſi forte ab eo, quod eſt viuere, nomen inuenit, fuitque alimentariæ ſimilis, quod vtraque de rebus ad victum neceſſarijs erat promulgata; quod tamen ex ijs, quæ mox dicam, falſum eſſe conſtabit. Alijs placet legem fuiſſe Vinariam; *Sed quæ comparatio*, inquit Lipſius, *erit vini ad agros? & repugnat res ipſa, ſicut in vijs*. Ego vero diuiſa Lipſij ſententia, quatenus fuiſſe vinariam negat, aſſentior: quod eſſe quidquam in his rationibus momenti putat, eo in alia omnia. Ipſe Veneariam ſcribit, *vt lex Curionis ad diuiſionem vineariam pertinuerit, quæ in Italia, & Campania præſertim multa, ſicut illa Rulli ad agrorum*. Sed quid argutamur? quid coniecturis rem certam atque exploratam indagatum imus? Sane Appianus lib. II. de bello ciuili hæc habet. ὁ δὲ Κουρίων εἰσηγεῖτο βαρυτάτας ὁδῶν πολλῶν ἐπισκευάστε, καὶ κατασκευὰς, καὶ αὐτὸν ἐπιστάτην αὐτῶν ἐπὶ πενταετὶς εἶναι. *Curio ferebat ad populum de muniendis ac reficiendis vijs, hanc ſibi curationem in quinquennium depoſcens*. Hæc apertiſſime de Viaria lege, non de Vinearia ſunt ſcripta: illa non multo obſcurius a Cicerone lib. VI. ad Atticum epiſt. I. extrema. *Vedius venit mihi obuiam, cum duobus eſſedis, & rheda equis iuncta, & lectica, & familia magna, pro qua, ſi*

K *Curio*

Curio legem pertulerit, ſeſtertia centena pendat neceſſe eſt. Hæc ſatis docent, quamobrem dixerit Cœlius legem Curionis Viariam ſimilem Agrariæ Rulli fuiſſe. Nam Rullus quoque creari ſe lege ſua volebat Decemvirum agris diuidundis. Cicero Agraria II. *Quos tandem igitur Decemuiros creari vult? ſe primum.* Dabatur eadem lege Decemuiris poteſtas in quinquennium. Cicero ibidem. *Dat prætereà poteſtatem verbo prætoriam, reuera regiam; definit in quennium; facit ſempiternam.* Quin etiam Rullus corraſa vndique publice ac priuatim pecunia montes auri ſpe deuorarat, quibus inhiaſſe etiam Curionem Cicero ſignificat. Atque hæc meo iudicio ſunt capita, a quibus legum Agrariæ & Viariæ ducenda ſimilitudo eſt: quæ multo eſſent plura, ſi de Curionis lege aut a pluribus, qui ad nos perueniſſent, veteribus ſcriptoribus, aut ab his, quos laudauimus, plura eſſent prodita. Quæ tamen accepimus, eiuſmodi ſunt, vt conijcere liceat, pleraque omnia ex Agraria Rulli in Viariam Curionis eſſe translata, vt Decemuiratum, vt ornamenta, vt poteſtatem, non modo in Italia, ſed etiam in prouincijs, & alia id genus. Quæ ſi vera ſunt, ab ijs etiam diſſentiamus neceſſe eſt, qui legem Viariam fuiſſe aiunt, qua numerus iumentorum, vehiculorum, ſeruorum ciuibus ad iter faciendum eſt definitus. quaſi vero id ſit vias munire ac ſternere, de quo promulgata, vt ait Appianus, a Curione rogatio eſt. Sed redeamus e diuerticulo in viam. Vt igitur dicere cœperam, Curio vna cum Viaria, legem etiam alimentariam iactauit, qua iubebat Aediles metiri. C. Cæſar Aedilibus ſuis Cerealibus id negotij, an mandarit obſcurum eſt. Auguſtus anno V. C. DCCXXXL cum annonæ eſt Præfectus, inſtituit, vt alij frumentum ad vrbem aduehendum curarent, alij diuiderent; quo plures partem Reipublicæ caperent ex Suetonio capite XXXVII. Hi principio duo tantum fuerunt lecti ex eorum numero, qui ante-

te:

te quinquennium præturam geſſiſſent. Dio initio libri LIV. ſed quinto poſt anno Auguſtus numerum auxit, inſtituitque vt magiſtratus ſinguli ſingulos ante triennium prætura functos nominarent, e quibus quatuor ſorte legerentur, qui in diuidendo frumento ſibi inuicem ſuccederent, eodem auctore in actis anni DCCXXXVI. Iterum anno DCCLIX. in maximis annonæ difficultatibus viros conſulares extra ordinem huic, vt arbitror, curationi præfecit. Quamquam non nego, curatores etiam eſſe potuiſſe. De ſuperioribus illis præfectis frumento dando, adtribuendo, præter veteres inſcriptiones, eſt apud Frontinum libro de Aquæductibus. II. locus ſane dignus, qui deſcribatur. Ex eo enim vt ornati ſint, intelligere licebit. *Cenſuerunt placere huic ordini, eos qui aquis publicis praeſſent, cum eius rei cauſſa extra vrbem eſſent, lictores binos, & ſeruos publicos ternos, architectos ſingulos, & ſcribas librarios, accenſos, præconesq́ totidem habere, quot habent ij, per quos frumentum plebi datur.* Et paucis interiectis. *Vtiq. quibus apparitoribus ex hoc S.C. curatoribus aquarũ vti liceret, eos diebus decem proximis, quibus S.C. factum eſſet, ad ærarium deferrent: quique ita delati eſſent, ijs prætores ærarij mercedem, cibaria, quanta præfecti frumento dando* (Vrſinus legit. *quanta præfectis frumento*) *dare, deferreq́ ſolent, annua darent, & attribuerent.* Verba ſunt veteris S.C. Auguſti æuo facti, Q. Aelio Tuberone, & P. Fabio Maximo iterum Coſſ: quæ verba obiter docent apparitoribus magiſtratuum frumentum datum, certumque per ea tempora, & quaſi ſolennem eius modum fuiſſe. Poſt hæc tempora non memini me quidquam obſeruare. Ad panẽ quod attinet, Valentiniano, Valente, & Gratiano imperantibus a Præfecto annonæ eſt diſtributus, vt legimus in Codicis Theodoſiani titulis. De Canone frumentario vrbis Romæ & De annonis ciuilibus & pane gradili.

De frumentarijs prouincijs. *Cap. X.*

POſtrema ſupereſt diſputationis pars de frumentarijs prouincijs, de ijs ſcilicet, quæ & frumenti erant feraces, & magnū eius numerum populo Romano ſuppeditabant. Præcipuæ fuere Sicilia, Africa, Sardinia, Hiſpania, Boeotia, Macedonia, Cherſoneſus, Aſia, Syria, Aegyptus, e quibus omnibus, ſi Aegyptum excipias ab Auguſto prouinciam factam, cum ſtante Republica, tum vero etiam collapſa frumentum Romam aduectū eſt, aut publicum ex vectigalibus, aut S.C. coemptum, aut priuatum a mercatoribus, quod interdum fiſcus emebat. Harum prouinciarum meminit Cicero frumentaria in Verrem, & pro lege Manilia, vbi Siciliam, Africam, Sardiniam tria fuiſſe teſtatur frumentaria ſubſidia Reipublicæ. Ad Atticum lib. XV. epiſto. IX. & ſequenti, Varro de re Ruſtica, Liuius multis locis, Plinius libro XVIII. capite VII. vno verbo pleriq; omnes Græci & Latini rerum Romanarum ſcriptores, qui tamen tres præcipue celebrant, Siciliam, Africam, Aegyptum, e quibus ingentem frumenti numerum quotannis Romæ illatum credere par eſt. Atque ex Sicilia quidem, quam M. Cato ille ſapiens cellam penariam Reipublicæ, nutricem plebis Romanæ nominauit, vt auctor eſt Cicero in Verrem iuriſdictione Sicilienſi, aut decumarum, aut emptionis nomine aduecta Romam quotannis ad octuagies bis centena modium millia fuiſſe intelligitur ex eadem Ciceronis frumentaria. Ex ijs DCCC. modium ſiculorum, quæ DCCCCLX. ſunt Romanorum millia lege Terentia importata ad largitiones faciendas ſupra diximus, quæ, ſi verum eſt accepiſſe hac lege publi-

cum

cum frumentum ad LX.hominum M.tres paullo amplius menſes plebem Romanam aluerunt, cum eſſet menſtrua largitio CCC.M. modiorum. Africani autem frumenti modum putat Lipſius memoriæ mandatum a Plutarcho in Cæſare, quem victo Scipione gloriatum prodit, regionem, quam ſubegerat, talem eſſe ac tantam, vt ex ea quotannis vectigalis nomine Populus Romanus præter olei pondo tricies centena M. percepturus eſſet frumenti CC.M.medimnum Atticorum, quæ ſunt modium Romanorum duodecies centena M. Sed cui poterit perſuaderi tam exiguum vectigal exactum ab Africa vniuerſa? Ne quis ergo temere accuſet Plutarchum, intelligendum eſt hæc ab eo ſcripta de quibuſdam tantum Africæ vrbibus. Et quidem ingentem illam olei ſummam exactam a ſolis Leptitanis tradit aperte auctor commentariorum de bello Africano in calce. *Leptitanos, quorum ſuperiobus annis Iuba bona diripuerat, & ad Senatum queſti per legatos, atque arbitris a Senatu datis, ſua receperant, XXXes centenis millibus ponderibus olei in annos ſingulos multat*. De frumento res eſt obſcurior.Quamquam enim apud eundem ſcriptorem legimus Tiſdritanos propter humilitatem ciuitatis non pecunia, vt Hadrumetanos,& Thapſitanos, ſed certo frumenti numero multatos; hoc tamen annuum vectigal an fuerit,non conſtat. Vt vt eſt, quæ de oleo ſunt ſcripta, etiam frumentum aut ab vna ex omnibus,& a paucis Africæ vrbibus fuiſſe exactum indicant. Quid autem reliquæ Africæ vrbes, quid Mauritania ab Auguſto prouincia facta,quotannis pependerint, non fuit conſilium Plutarcho ibi tradere. Alio igitur iter conuertendum eſt, & ipſo quidem Lipſio duce, qui ad hanc rem illuſtrandam in II. de magnitudine R. cap. X. alterum affert locum Ioſephi ex oratione Agrippæ ad Iudæos, in qua affirmat Africam octo menſibus populum R.alere, Aegyptum quaternis. Quare cum ex Agypto, XXVII.

Victore

Victore teſte in Auguſto, vrbi illata ſint annua ducenties centena M. modium frumenti, facile intelligitur Africam annua circiter quadringenties centena M. modium pependiſſe. Verum ne hac quidem ratione quidquam promouemus. Cum enim hæc de diuerſis ætatibus memoriæ ſint prodita, non temere ad vnam videntur reuocanda. Scripſit hæc Victor de Auguſto, a quo Aegyptus vectigalis eſt facta; Ioſephus de Nerone, quo imperante Iudæi rebellarunt, centeſimo prope anno poſt Aegyptum ſubactam. Ante igitur quam par vectigal ſub Auguſto & Nerone pependiſſe hanc prouinciam conſtet, nihil ex collatione horum locorum erui poterit, quod faciat ad rem
XXIX. noſtram. Huc accedit, quod ſuſpectus mihi eſt Ioſephi locus, nec videtur conniuentibus oculis prætereundus. Latet enim fortaſſe in eo maxime inſigne & illuſtre mendacium, quod vero etiam, ſi quid in eo veri eſt, detrahit fidem. Non nego potuiſſe fieri, vt Romam ex Africa quotannis duplo maior, quam ex Aegypto frumenti numerus inueheretur. Scio enim Africam maximam eſſe, & feraciſſimam; & video, quam frumenti vim dare potuerit vni vrbi tertia prope pars orbis terrarum: id tamen Agrippæ, ſiue Ioſepho affirmanti quominus credam, facit a vero abhorrens eius dictum de tanta annonæ vi Vrbi illata ex his duabus prouincijs, vt annuum victum populo R. ſuppeditarent. Metuo igitur, ne Agrippa in hac re ita ſeruierit cauſſæ magis, quam veritati, vt in alijs plerisque in eadem oratione, quas miror Lipſium credere, quam examinare maluiſſe. Porro Agrippam in hac re fuiſſe mentitum, vel illud documento eſt, quod ſi Aegyptus & Africa populum R. aluere, nil frumento ex alijs prouincijs importato opus fuit: at illatum Plinius teſtatur libro XVIII. capite VII. ſcribens de frumento. *Ex his generibus, quæ Romam inuehuntur, leuiſsimum eſt Gallicum atque e Cherſoneſo aduectum. Quippe non excedunt in mo-*

dium

dium vicenas libras, ſi quis granum ipſum ponderet. Adijcit Sardum ſelibras (qui ſex libras legunt, eos non ſequor) *Alexandrinum & trientes; hoc & Siculi pondus. Boeotium totam libram adijcit, Africum & dodrantes.* Hoc frumento ex Gallia Cherſoneſo, Sardinia, Sicilia, Boeotia Romam inuecto, quæro quid factum ſit, ſi ſolæ Africa & Aegyptus aluere populum R. Quid? quod ne alere quidem potuerunt. Cum ſexcenties centena modium M. qui modus fuiſſe dicitur Africani ſimul & Aegyptij frumenti a vicies centenis hominum M. fuerint abſumpta: Vrbem autem, Lipſio teſte (de cuius ſententia alias diſpu tabimus) coluerint ad quadragies centena M. Mitto peregrinos, qui dum in Vrbe moram, quamuis breuem, trahebant, eius annona vtebantur. Volo enim his tribui, quidquid parcebant lautiores, quibus panis obſonij loco erat. Si igitur quæ de Vrbis frequentia traduntur, vera ſunt, vt ſane Lipſio videntur, vix ſemeſtria ab Africa & Aegypto alimenta populo R. fuerunt ſuppeditata. Dicet quiſpiam. Iniuria Ioſephum carpis, qui non de vniuerſa Vrbem colentium multitudine hæc ſcripſit, ſed de ijs tantum, qui gratuitum frumentum accipiebant; atque hoc dicit. Africanum, & Aegyptium vectigal tantum fuiſſe, vt ingens frumentantium multitudo illo octo, hoc quatuor reliquis anni menſibus aleretur. Velim, qui hac defenſione vtitur, is me doceat, vnde eruat, aut eſſe hic Agrippæ ſermonem de largitione, aut Aegyptium præcipue, & Africanum frumentum largitionibus fuiſſe deſtinatum. Nam Ioſephi hic locus & eſt controuerſus, &, quod grauius eſt, reijcit a ſe hanc ſententiam. Pugnat enim cum Agrippæ conſilio apertiſſime, quod erat docere, leuibus Iudæos oneribus premi præ alijs prouincijs populo R ſubiectis, ex quibus Africa maxime & Aegyptus ingens quotannis vectigal perſoluebant. At vectigalis huius magnitudo ex eo frumenti numero, qui

atibat

abibat in largitiones, intelligi non poteſt. Ponamus enim vel trecenta fuiſſe hominum M. imperante Nerone denos modios quot menſibus capientia (omnia enim in tam bona cauſſa Lipſio largiar) ſubducta ratione, trecenties ſexagies centena modium M. quotannis donata reperiemus. Sola igitur Africa non aluit modo populum R. ſed tantum etiam frumenti dedit, vt reliqua eſſent anno vertente quadragies centena modium M. & præterea quidquid dabat Aegyptus; quam ſummam Ioſephus cur ſibi contemnendam, atque omittendam putarit, non video; cum tantum frumenti numerum vix quatuor Siciliæ duabus decumis perſolutis ſuppeditare potuerint. Quod ſi modus frumenti fuerunt modij quini, quod & verius puto, ne tertia quidem horum vectigalium pars eſt ſignificata, & ſola Aegyptus populum R. aluit. Qui igitur ſi minus augere, at hiſtorica fide æquare verbis ſtudebat vectigalium illorum magnitudinem, is vſque adeo minuiſſe comperietur, vt vel plus paullo dimidio, vt omnia largiamur, vel ne tertiam quidem partem, ſi veriſimiliora ſequi voluimus, ſignificarit. Sic Ioſephus quoquo ſe ver-
XXIX. terit, reprehendetur. Vidit hoc vir acutiſſimus, ſed huic, qua de agimus, loci huius interpretationi mirum in modum addictus, atque vt Ioſepho opem ferret, Victori adhibuit medicinam, & Aegyptum dimidia vectigalis parte leuauit. Suſpicatus eſt enim in Victore legendum *ad centies centena modium millia*. Sed Victoris locus, mea quidem ſententia, integer eſt: idque adeo ipſe indicat, cum fidem ijs aſtruens, quæ de ingenti frumenti numero ex vna prouincia Vrbi illato mox erat dicturus, ſcribit, Auguſtum, vt annonæ Vrbis Aegyptum copioſam efficeret, foſſas incuria vetuſtatis limo clauſas labore militum pateféciſſe, quod a Suetonio quoque capite XVIII. & a Dione libro LI. proditum eſt. Deinde illa ſubdit, quæ ſupra commemorauimus. Huius tempore annua

Vrbi

Vrbi ducenties centena millia frumenti inferebantur, ſignificans ingentem hanc feracitatem Auguſti operibus eſſe acceptam referendam. Profecto autem ſi vſpiam alibi, in Aegypto foſſas purgantibus, & paludes ſiccantibus ratio operæ conſtitit. Id reapſe expertus eſt Auguſti æuo C. Petronius Aegypti Præfectus, non multo poſt quam prouincia eſt facta, de quo Strabo legendus libro XVII. haud procul initio. Sed & Aureliano Principe, his ipſis operibus in Aegypto factis a Probo, qui poſtea imperauit, tanta eſt facta ad priſtinum vectigal acceſſio, vt ex ea panibus in Vrbe vænalibus vnciam addiderit gratuitam. Sed altera etiam patet ad veritatem via, vt cum Aegypto Siciliam contendamus. Hæc enim partem Aegypti tertiam vix æquat magnitudine paucoſque habet campos, qui fundant cum centeſimo, aut, ſi Ciceronem audimus, planè nullos, cum feraciſſimi efficiant cum decimo; & tamen bis & ſeptuagies centena modium Romanorum M. quotannis populo R. pependit. Aegyptum autem triplo maiorem, & multis partibus fertiliorem (reddidebat enim Plinio teſte, modius vnus centenos) negabimus triplum, imo aliquanto minus dare potuiſſe? Mihi ſane in mentem venit mirari, non plus etiam dediſſe, poſt tantam adhibitam in ea excolenda ab Auguſto, & Petronio diligentiam: tantum abeſt, vt modum, quem Victor memoriæ mandauit minuendum putem. Imo fit, vt quomodo hæc a veteribus narrantur, videatur Sicilia vt grani pondere, ſic etiam fertilitate cum Aegypto certare. Vt enim par fuit tertiæ eius parti, ſic amplius tertiam vectigalis partem perſoluit. Neque eſt, quod quemquam commoueant duæ decumæ prebitæ a Sicilia. Aegyptum enim tantundem pependiſſe prodit Oroſius libro primo capite VIII. de fame loquens, quam Ioſephus Aegypto auertit. *Huius temporis argumentũ hiſtorijs, faſtisq́ reticentibus, ipſa ſibi terra Aegypti teſtis pronuntiat, quæ tunc re-*

dacta in poteſtatem regiam, reſtitutaq́ cultoribus ſuis ex omni fructu ſuo vſque ad nunc quintæ partis inceſſabile vectigal exſoluit. Hæc dici poſſunt pro Victoris loco, ad quem
XXX. corrumpendum anſam dedit frumentaria largitio. Sed nil mirum. ad eam enim multi præterea veterum ſcriptorum loci falſo reuocantur: vt vnus de Tiberio, alter de Nerone apud Tacitum, tertius Vopiſci de Aureliano, quartus Olympiodori apud Photium. Scribit Olympiodorus poſt Romam a Gotthis captam Albinum Præfectum Vrbis ea denuo inſtaurata ſcripſiſſe, non ſufficere populo miſſos commeatus, cum Vrbs in dies fieret frequentior: hisque adieciſſe diurnum canonem eſſe quatuordecim millium, vt opinor, modiorum. Hunc Albinus expreſſerat, vt poſſet conijci ex eo, quanta ad eam diem hominum multitudo in Vrbem confluxiſſet, non ad largitionem vllam ſignificandam, quæ ſane labante imperio, & Vrbe recens vaſtata inſignis fuiſſet, ſi donari potuiſſent. C. hominum millibus modij quini menſtrui, aut panis, qui in frumenti locum iampridem ſucceſſerat, pondo bina millibus CLXXX. De Taciti locis ex libro VI. & XV. Annalium, capite III. & VII. ſatis diſputaui. Vopiſci verba ex Aureliani epiſtola ad Præfectum annonæ in Electis afferũtur, cum tamen a pane gradili frumenti vicario, quo de agitur, mire ſint aliena. His Caſſiodori locus e libro VI. Variarum in formula Præfecti annonę ſubijcitur, qui ad panem vænalem proculdubio pertinet. Eodem Victoris de Traiano referendus eſt locus, vt capite IV. oſtendi. Sed hac de re nimis fortaſſe multa. modum igitur ſcribendi faciam, ſi prius modios Romanos, quorum paſſim in hac diſputatione mentio eſt facta, reuocauero ad Patauinos: vt, quemadmodum regionum tabellis modus in angulo apponitur, ex quo earum magnitudo, vrbiumque interualla cognoſci poſſint: ſic habeant in calce huius libelli ſtudioſi antiquitatis, vnde intelligant, quantæ fuerint hæ
lar-

largitiones,atque in primis Aegyptium & Siculum vectigal. Vnciæ igitur Romanæ veteres octodecim, Patauinæ libræ maiori, quam groſſam vocant, a ſubtili vt diſcernatur, reſpondent: vt a Laurentio Pignorio viro haud ſcio vtrum meliore, an doctiore, vtroque certe nomine mihi cariſſimo animaduerſum eſt. Quo fit, vt Siculi & Alexandrini frumenti modius librarum circiter vnius & viginti Romanorum, Patauinas XIV. pependerit; & modij veterum terni ſextario noſtro pondo librarum XLII. frumenti non optimæ notæ; modij autem triceni ſeni modio noſtro ſextarium duodenum, maximæ aridorum menſuræ, ſint pares. Quare Auguſtus, qui emenſus eſt quotannis modios ſexagenos ducentis hominum millibus, circiter CCCXXXIV. Patauinorum modium millia eſt largitus. Et Agyptium vectigal, quod Victor expreſſit, Patauinorum modium paullo minus DLVI.M. Siculum autem ideſt binæ decumæ CC.M. ferme æquarit. Sed & illud conſtat, frumenti vim omnem, quam Auguſto imperante feraciſſima Aegyptus quotannis ferebat, fuiſſe modiū Patauinorum vicies ſepties centenum octoginta millium; Siculi autem frumenti numerum modium ferme decies centenum M. quæ mihi ſummæ pro decantata harum regionum feracitate ſane exiguæ videntur; tantum abeſt, vt inde aliquid detrahendum putem.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

FINIS.

VINCENTII CONTARENI
DE MILITARI
ROMANORVM STIPENDIO
Commentarius.

PETRO DVODO
EQVITI, ET SENATORI ILLVSTRISSIMO

Vincentius Contarenus S. P. D.

ADEO nihil eſt DVODE ILL.me quod tua efficere ſingularis humanitas, virtus, & omnis viro nobili digna doctrina non poſſit, vt ego quoque te appellare audeam, & libellis meis tuum multo clariſſimum nomen præſcribere. Me cum dico, hominem dico plus nimio, vt tute ſcis, verecundum, vix tibi de facie notum, cui alijs olim, nunc vnis addicto humanioribus litteris otium eſt, diſcere & commentari, quæ doceat: negotium autem docere, atque edere in lucem, quæ didicerit. Tua vero domi in Repub. conſilio atque opera iuuanda, foris in populis iuſte, & moderate regendis, in legationibus ad Reges & Principes obeundis ſumma cum laude ſpectatur induſtria. Otium autem ne poni quidem poteſt elegantius. Nam quibus

ſtudijs

ſtudijs a prima adoleſcentia viam tibi ad res abditas, & penitus abſtruſas cognoſcendas, bonas a malis; iuſtas ab iniquis diſcernendas muniſti, ea nunc quoque cum licet, recolis, atque ita me in caſtris, quod aiunt, meis cædis. Hæc me deterrere potuerunt; inuitare autem, præter illa, quæ initio dixi, quam multa? De facie vix nouit? at ingenij qualecunque habeat ſpecimen. Salutarunt alij, deduxerunt? ego ſi tempus parſi, vt in ſtudijs conſumerem, fructum retribuam ſtudiorum, quæ vindicare ſuo ſibi iure poteſt. Officia quibus eius ſimiles coli atque obſeruari ſolent, in vna atque altera vrbe non præſtiti? at id præſtem, quod hinc DVODI, inde LIPSII nomine tanquam geminis alis euectum totum peragret orbem terrarum; ita vt omnes boni, qui VENETVM nomen, omnes docti, qui Lipſium amant, me PETRVM DVODVM ſemper eſſe admiratum, ſemper tacitè coluiſſe intelligant. His ego omnibus humanitatem tuam, & litterarum amorem cum aſpergerem, abieci, vt vides, nimium pudorem, meq; non modo Tibi ſed etiam orbi terrarum aperire auſus ſum. Quod vtinam id tam mature factum videatur, quam ſpero fore, vt hanc recentem licet exiguam veteris meæ in te obſeruantiæ ſignificationem boni conſulas. Vale.

Patauij Kal. Auguſtis CIↃ IↃ CIX.

VINCENTII CONTARENI

DE MILITARI ROMANORVM STIPENDIO Commentarius.

De militari ſtipendio, quæ tradidit Lipſius libro Electorum primo, & in Commentarijs ad Tacitum vera non videri.

NEque vllus eſt ager, quamlibet improbo agricolæ labore ſubactus, quin lolij quid, aut herbarum ferat; neq; aurum adeo excoqui poteſt, nihil vt in eo ſit alieni metalli. Haud abſimilis humanæ mentis, quæ ſuapte vi nititur ad veritatem, ratio eſt. Vt enim exacuat, quoad eius fieri poteſt, aciem ſuam, interdum tamen cauere ſibi a mendacio nequit, quod non blanditur modo veri ſpecie, ſed etiam facit, vt quod falſum eſt, id vnum verum eſſe videatur. Quidquid vſquam hominũ eſt, laborat hoc vitio. Fallimur omnes per imprudẽtiam, & fallimus. Quo minus mirum videri debet, Iuſtum Lipſium, virum alioqui doctiſſimum, antiquitatis præſertim bono natum, lapſum eſſe ijs in locis, quibus nemo potuiſſet vſq; ad eius ætatem citra lapſum inſiſtere. De militari ſtipendio apud Romanos vetus inter doctos quæſtio eſt.

Ego inquit *audebo certum concludere.* At quæ illi certa, mihi tam dubia videntur, vt putem, ne de induſtria quidem cum tam longe a ſcopo aberrare potuiſſe. Quoniam autẽ is ego ſum, qui humanæ huic imbecillitati æque vt omnes, aut etiã ſupra omnes eſſe me obnoxium ſentiam, & fateri poſſim: libet ponere in medio, quæ faciunt, vt Lipſium non audiam, eaq; eruditorum iudicio ſubijcere. Pecuniã, frumentum, veſtem vno ſtipendij nomine contineri: pecuniam dari cœptam anno V.C. CCCXLVII. modum initio exiguum fuiſſe oraculis Sibyllinis verius eſt. Reliqua habent dubitationem. Græci drachmam, qua Romanum denarium ſignificant, diuidunt in obolos ſenos. Polybius igitur lib. VI. memoriæ mandauit diurnum ſtipendium æuo ſuo fuiſſe binos obolos; cẽturionis duplex; equitis drachmam. Obolos duos Lipſius dicit *fuiſſe tres aſſes, eamq; ſummam haud dubie per duos obolos* expreſſam *a nobili hiſtorico.* Ego vero duos obolos quinis minimum aſſibus reſpondere autumo. Vtq; me Plauti in Moſtellaria locus, de quo mox dicam, non deterret, quin ita ſentiam: ſic Polybius ſiue librum, in quo hæc prodidit, ſiue tempora quibus hiſtoriam ſcripſit, ſpectemus, in ſententia confirmat. A bello enim Punico ſecundo exorſus, cauſſiſque eius altiſſime repetitis, & libro III. Annibalis in Italiam aduẽtum, & cum alias, tum acceptam ad Cannas a Romanis cladem exequutus, libro demum VI. quæ diximus, de militum ſtipendio ſcripſit. At anno ante Cannenſem pugnam dictatore Fabio denarius ſenisdenis cœperat aſſibus æſtimaris, vt ex Plinio diſcimus libro XXXIII. cap. III. *Annibale vrgente Q. Fabio Maximo dictatore, aſſes vnciales facti: placuitq; denarium XVI. aſsibus permutari, quinarium octonis, ſeſtertium quaternis.* Faſtos nunc ſi libet, adeamus. Fabium dictatorem anno V.C. DXXXVI. fuiſſe; cæſos ad Cannas Romanos DXXXVII. reperiemus. In his igitur memoriæ mandandis qui habitam a Polybio temporum

rationem

rationem exiſtimat, ei fatendum eſt, non ternos, ſed quinos aſſes diurnum Romani peditis ſtipendium fuiſſe. Quid? quod hæc fortaſſe non eorum, quibus narrantur, propria temporum fuerunt, ſed illis etiam communia, quibus hiſtoria ſcribi cœpta eſt: quod anno poſt V. C. DXXCV. accidit, quo L. Aemilius Paullus Perſe deuicto Macedonum imperium euertit. Id poteſt intelligi ex libri III. initio, vbi hiſtoriæ terminum ſtatuit regni Macedoniæ interitum, qui in annum ab aucto denarij æſtimatione. L. incidit: vt qui tanto poſt ſcribere cœpit, eum ſit veriſimile, quod Romani milites æuo ſuo ſtipendium acciperent, notaſſe. Atque hæc mihi ratio eo videtur firmior, quod quæ proditur libro illo VI. Romanæ Reipub. domi belliq́ue adminiſtrandæ ratio, in eos etiam, qui ſequuntur, libros, aut in operis calcem reijci potuit. Neque enim habet quidquam eorum temporum, quorum narrationi interponitur, proprium ac peculiare. Quamquam ſummo conſilio factum a Polybio eſt, vt hic potiſſimum digreſſionem eam collocaret, quæ quaſi præluceret libris omnibus inſequẽtibus facem; cognitis iam cum domeſticis, tum bellicis eius Reip. legibus atque inſtitutis, cuius res geſtæ litteris mandarentur. His accedit, quod ni idem vrgente bello Punico II. & confecto Perſico miles Romanus ſtipendium accepiſſet, nõ videtur Polybius fuiſſe id ſilentio præteriturus: cum eorum, quæ mutata erant, quæq́ue æuo ſuo ſecus atque olim fiebant, lectorem tam ſæpe admoneat. Vt autem hunc locum pro virili perpurgem, non diſſimulabo probari mihi nunquam potuiſſe obſcuram illam, & pugnantem ſecum temporis ſignificandi rationem, qua vſus eſt Lipſius, cum dixit. *Polibij ætate, ideſt, ſub bellum Punicum ſecundum* ſtipendiũ id fuiſſe, quod diximus. Quid enim quæſo eſt? *ſub bellum Punicum ſecundum*. Vtrum paullo ante id bellum? Reclamat Polybius, qui hæc narrat poſt acceptas eo bello

tres maximas clades. An eo recens ſuſcepto? repugnat latine loquendi conſuetudo. Quanto igitur ſatius erat remouere hunc obicem, ad quem tam multi, quibus faſtos conſulendi otium non eſt, poſſunt offendere,& clare ac dilucide tempora notare? At res,dicet quiſpiam,non proceſſiſſet,neque illa Polybiani,& Plautini loci collatio. Sat ſcio: neque tamen ſcripſiſſe Lipſium ambigue, quo cuiquam fucum faceret, perſuaderi mihi vnquam patiar. Non cadunt, meo quidem animo, in eius mores, non in eruditionem fallaciæ. Falſum eſſe potius credam itidem in hoc, atque in eo, quod addit. *Polybij ætate* rem ſic ſe habuiſſe. Nam Polybius Plinio auctore lib.V.Cap.I. res geſſit cum Scipione Aemiliano, a quo euerſa Carthago eſt anno V.C. DCVII. vixit annos duos & octoginta, vt eſt apud Lucianum in Macrobijs. fac igitur ſeptuagenarium ſe bello immiſcuiſſe. redi ad faſtos: retro annos numera ad primum belli Punici ſecundi, qui fuit V.C. I Ɔ XXXV. Polybium nondum in lucem editum fuiſſe comperies:atque vt aliquanto maior natu, quod vix credibile cuiquam videatur; bella tractarit,vix natum.Si igitur de *Polybij ætate* accipienda hæc ſunt, vt Lipſio placet, fateamur neceſſe eſt, drachmam ab eo ſenisdenis; obolos duos,quinis, vt dixi, aſſibus fuiſſe æſtimatos. Cum autem additur,ad ea,quæ refellimus,confirmanda,Plauti e Moſtellaria locus,valde vereor, ne error errore cumuletur. Duos obolos eſſe tres aſſes *doceo*, inquit Lipſius, *ex Plauto, cuius loco primus do lucem in Moſtellaria* Scena. *Iuppiter ſupremus.*

Vbi ſunt iſti plagipatidæ, ferritribaces viri?
Iſti, qui trium nummorum cauſſa ſubeunt ſub falas,
Vbi aliqui quindenis haſtis corpus transfigi ſolent?

Nam tres nummi hic tres aſſes, & ad ſtipendium militare diſerta alluſio comici ſerui. Si quoto Vrbis anno facta eſſet hæc fabula,aut poeta natus;aut quandiu vixiſſet,conſtaret;

ret; multo plura fortaſſe ad interpretationem hanc confutandam ſuppeterent argumenta. Cum enim Plautum anno V. C. D LXIX. cenſore Catone e viuis exceſſiſſe doceat Cicero de claris oratoribus; ſi quinquaginta exempli gratia vixiſſet annos, pulcherrimam fabulam vix toga virili ſumpta ſcripſiſſet. Annus enim XVII. in eum, quo dictaturam geſſit Fabius, incurreret. Sed hæc mittamus parum comperta, & in obſcuro poſita: alia autem certa, & quæ refelli vix poſſit ratione vtamur. Nummum & ſeſtertium vnius eiuſdemq; rei plerunque nomen eſſe apud omnes in confeſſo eſt. Non enim ſexcenti, ſed innumeri plane occurrunt veterum ſcriptorum loci, qui hoc doceant. Quod ſi quis tamen teſtes requirit, ne actū, quod aiunt, agam, eum ad Budæi librum I. & II. de aſſe allegabo. Profecto igitur tres Plauti nummos curtos eſſe oportuit, ſi tribus duntaxat aſſibus vna cum Lipſio æſtimandi ſunt. Integri enim ſeſtertij nummi tres ante Fabij dictaturam ſeptenis aſſibus & ſemiſſe; poſt eam duodenis eſſent permutati. Præſtat igitur, quæ ſcribit Plautus, referre ad circum, quo Lipſius quoque referri poſſe animaduertit; & duos Polybij obolos, binos, vt dixi, aſſes interpretari. Atque hoc fortaſſe ſtipendium eſt, quod auctore Suet. cap. XXVI. Cæſar *legionibus in perpetuum duplicauit*: ita vt militibus quinos aſſes accipere ſolitis, denos dederit, & vero etiam dari in perpetuum voluerit. Quamobrem Auguſtus patrē, pro eo ac debebat, reueritus, cum *quidquid vbiq; militum eſſet, ad certam ſtipendiorum formulam adſtrinxit*, vt Suetonij verbis vtar capite XLIX. denis in diem aſſibus nihil detraxit, ac ne addidit quidem, ſed duplicato a patre in perpetuum ſtipendio contentos eſſe voluit. Sed antequam plura de Auguſto dico, pauca de Lipſij ſuſpicione dicenda ſunt. Sub Cimbricum bellum, quod exarſit anno V. C. DCXL. factam eſſe aliquam ad duorum obolorum ſtipēdium acceſſionem vt ſuſpicetur,

faciunt

faciunt Aſconii verba in Cornelianam. *Iunius* conſul anno V. C. DCXLIV. *male rem aduerſus Cimbros geſſit, ac plures leges, quæ per eos annos, quibus hæc gerebantur, latæ erant, quibus militiæ ſtipendia minuebantur, abrogauit. Fruſtra enim* inquit Lipſius, *imminutum ſtipendium, niſi præter morem auctum.* Vt ſupra nummi, ita hic ambiguum ſtipendij nomen impoſuiſſe Lipſio videtur. Sunt enim ſtipendia non ſolum æra, quæ meret miles, de quibus in præſentia diſputamus, verum etiam certus annorum numerus, quibus militare olim tenebantur. Si vrgeret neceſſitas, XX. fuiſſe docet Polybius in VI. Atque hæc ſtipendia ſunt, quorum meminit apud Liuium libro XLII. Sp. Liguſtinus his verbis. *XXII. ſtipendia annua in exercitu emerita habeo.* vbi *annua* addidit, a diurnis & menſtruis vt diſcernerentur. XXII. ſcripſi, vt hoc obiter dicam, libros omnes ſequutus. Lipſium enim ad Taciti Annal. librum I. inſuper habito eorum conſenſu XXX. reponentem corrumpere locum illum mihi exploratiſſimum eſt: cumque id, quod ſum exorſus, pertexuero, appendicis loco in capite extremo docebo. Vt igitur ad Iunium redeam, cum per eos annos latæ eſſent leges, quibus annua ſtipendia minuebantur, factum eſt S.C. vt leges illæ abrogarentur. Hæ ſunt, quas ſignificat Cicero in prima Corneliana illis verbis, ad quæ Aſconius ea, quæ ſupra recitauimus, notauit. *Quatuor omnino genera ſunt, Iudices, in quibus per Senatum more maiorum ſtatuatur aliquid de legibus. Vnum eſt eiuſmodi: placere legem abrogari. vt Q. Cæcilio, M. Iunio Coſſ: quæ leges rem militarem impedirent, vt abrogarentur.* Impedebant autem emerita breuiore militia ſtipendia, non imminuta pecuniæ ſumma. Siue enim quinos, ſiue ternos mererent in diem aſſes, dare nomina cogebantur: immatura autem miſſione obſtabat lex, quominus opera veteranorum Reſpub. vteretur. His accedit, quod rogationem de minuendo ære militari neque ad populum

quiſquam

quiſquam tuliſſet, neque populus ſciuiſſet, neque Senatus abrogari voluiſſet. Vt autem ſub Cimbricum bellum imminuta, ſic per bella ciuilia militibus conciliandis aucta eſſe ſtipendia Lipſio veriſimile, mihi ſuperuacaneum videtur. Cum enim duces largiendi modum nullum facerent, non aucto ſtipendio, ſed multo maiore profuſione; villis, agris, numerata pecunia, aut pronuntiata ad militum animos ſibi conciliandos certarunt. Compoſitis rebus Auguſtus denos in diem aſſes, vt dicere cœperam, militibus dedit, qui hanc ob cauſſam apud Tacitum lib. Annal. I. quæruntur *denis in diem aſsibus animam corpusq́ æſtimari*, & diurnum denarium efflagitant. Multa ſunt, quæ hic nos turbent. Primum Plinij locus e lib. XXXIII. cap. III. qui denarium vrgente Annibale ſenisdenis aſſibus permutari cœptum cum dixiſſet, hæc addit. *In militari tamen ſtipendio ſemper denarius pro decem aſsibus datus.* Quod ſi verum eſt, cur quæſo miles apud Tacitum denarium flagitat, quem accipiebat. Deinde negotium nobis faceſſit res noua, ante hanc diem inaudita, & quod grauius eſt, cum veteribus ſcriptoribus pugnans; denarium Auguſti & Tiberij principum æuo aſſibus non amplius duodenis fuiſſe æſtimatum: quod tamen ex hac Taciti, & alio Suetonij loco, in Domitiano, Zonara vtriuſque conciliatore confici videtur. Nam Sueton. cap. VII. hæc habet. *Addidit & quartum ſtipendium militi aureis ternis.* Sic legit Lipſius, non *aureos ternos*, vt eſt in vulgatis. Cum igitur Zonaras hac ipſa de re agens dicat, militibus ſeptuagenos quinos denarios accipere ſolitis, Domitiani iuſſu centenos datos: fit, vt ſtipendia ſingula menſtrua fuerint denarij viceni quini, ſiue aureus vnus Romanus. Nunc redeamus ad Tacitum, & aſſes menſtruos trecentos, quos deni in diem efficiunt, in partes quinque & viginti diducamus: totidem reperiemus denarios aſſium non amplius duodenum. Pliniani loci vna atque altera profertur a Lipſio

Lipſio interpretandi ratio, quarum prior illi potior, mihi deterior videtur. Poſteriori habeo quod addam, quo magis illuſtretur. Priorem proponam ipſis Lipſij verbis. *Ea*, inquit in commentarijs in Taciti Annal. I. *ſeueritas diſciplinæ militaris fuit, vt quamquam denarij pretio ſæpius aucto, miles tamen nihil inde commodi ſenſerit; ſed proinde illi in ſtipendium denarius proceſſerit, quaſi ſi eſſet tantum aſsium denum. Ea Plinij mens*. Quid ego hic probem, aut non probem? quid mihi verum, quid falſum videri dicam? *Seueritas* ad ſtipendium quod attinet, *diſciplinæ militaris fuit?* imo Patrum, vt mox docebo, indulgentia. *Denarij pretium ſæpius auctum* eſt? imo ſemel poſt Vrbem conditam. *Miles nihil inde commodi* ſenſit? imo plurimum. Obſcura clauſula eſt. Vtrum enim dicitur, milites denarium accepiſſe pro denis aſſibus, an denos eſſes pro denario? Si prior placet ſententia, hæremus in ijſdem vadis, nihilque interpretando proficimus. Pugnat, vt antea, Plinius cum Tacito. Sin poſterior: pugnat Lipſius cum Plinio, qui non denos aſſes pro denario, ſed pro denis aſſibus datum denarium prodit. Inter hæc autem quantum interſit, qui non videat, puto eſſe neminem. Denos aſſes dat pro denario, qui dicit. Denarium meres? Cape denos aſſes: hic denarius eſt. Datur autem denarius pro denis aſſibus ad hunc modum. Denos aſſes meres? Cape denarium: hi deni aſſes ſunt. Quid autem alienius, quam vtramque rationem miſcere, & poſteriorem priore interpretari? ita vt qui denarium accipit pro denis aſſibus, Plinio teſte, is denos aſſes accipiat pro denario, Lipſio interprete. Quando igitur nondum in hac quæſtione ſunt Alcedonia, reſtat, vt eam negemus Plinij mentem fuiſſe. Quod addit Lipſius. *Si alia* fuit, *de priſca Republ. ſenſit, non de hac Auguſtæa*. Hoc demum probare poſſum. Vnum addo: videri mihi verba illa Plinij, *vrgente Annibale*, quæ in ſuperiori ſunt comprehenſione,

henſione, ad hanc quoque ſententiam pertinere, quamquam non repetuntur: vt hoc dicat Plinius. Patres tam graui & periculoſo bello vexatos ad ſeditiones vitandas, milites'q; incitandos in tanto diſcrimine ad vitam pro patria fortiter profundendam, voluiſſe denarium ijs dari vetere denum aſſium æſtimatione. Parta autem victoria, militibus quoque dari cœptum pro XVI. aſſibus. Et de Plinij quidem loco ita ſentio. Suetonium vero Tacito conciliare maioris eſt operæ: nihilominus antiquitatis ſtudioſis vt proſim, nihil intentatum relinquam. Duo igitur mihi, quantum vires meæ ferent, præſtanda ſunt. Seſtertium Auguſti & ſequentium Principum æuo ſemper XVI. nunquam XII. aſſibus fuiſſe æſtimatum vt doceam: & Suetonij locum, vulgatoſque codices, qui habēt, *aureos ternos*, integros eſſe oſtendam. Nam vt de ſeſtertio primum dicam, per mihi mirum videtur Vitruuium, quem Auguſto Principe ſcripſiſſe conſtat egregios, qui extant, de architectura libros, in eorum III. capite I. denarij primum denos, deinde ſenosdenos habentis aſſes meminiſſe; duodenis autem aſſibus permutati mentionem nullam feciſſe: cum tamen vt decuſſiſſexis, ita duodenaria æſtimatio manare potuerit a pede, qui cum denarius ibi comparabatur. Vt enim pes quatuor habet palmos, vncias duodecim, digitos ſexdecim: ſic habuiſſet denarius ſeſtertios quaternos, aſſes nunc duodenos, nunc ſenosdenos. Sed multo, vt ille ait, mirius videtur, Plinium libro XXXIII. Cap. III. diligentiſſime in hoc argumento verſatum de permutato duodenis aſſibus Domitiani æuo, ſe illa prodente, denario ſiluiſse, quamquam res erat inſignis, & iam inde ab Auguſti principatu vſu recepta, vt haud obſcure ſignificat Lipſius. His Mæcianus accedit I. C. qui ſub Antoninis tanto poſt Plinium de æſtimatione denarij ſcribēns, hac quidem in parte piſce eſt taciturnior. Quæ hæc igitur veterum ſcriptorum,

qui Auguſti, & ſequentium Principum temporibus vixerunt, conſpiratio eſt? Quod eſſe hoc dicam pertinax quaſi de compacto ſilentium? An quod nunquam eſt factum, id mandare litteris non potuerunt? Plane ita videtur; cum ad nouam ſententiam conuellendam ne rationes quidem, quas rationibus opponamus, deſint. *Per bella*, inquit Lipſius in Tacitum, *ciuilia (& ſentimus etiam nunc) creuerat auri pretium & argenti. Itaque denarius XVI. primo aſſibus, tandem æſtimari duodenis cœpit, in eoq́ ſtetit Auguſti, & ſequentium aliquot principum æuo.* Aurum & argentum, ſed aurum magis, hodieque reciprocantis maris inſtar nunc pluris æſtimari, nunc minoris pro argentariorum, & publicanorum libidine vidimus. Neque tamen arbitraria hæc, vt ita dicam, æſtimatio infra legitimam vnquam fuit. Pluris facta eſt pecunia, quam quanti erat; nunquam minoris. Atque hoc eſt, quod ſenſimus. Videamus reliqua *Denarius XVI. primo aſſibus æſtimari cœpit.* Hoc aperte falſum: aut ſi verum eſt, ad rem minime facit. Falſum; ſi hoc dicit, quod ſuperior poſtulat ſententia. Bellis ciuilibus factum eſſe, vt denarius aſſibus ſenisdenis permutaretur. Anno enim CLXIX. ante bellum ciuile Pompeianum, vt altiſſime repetam, cautum erat, id vt fieret, quemadmodum ex Plinio docuimus. Sin hoc dicit; cum vetus illa permutatio obtineret, pace parta, denarium nonniſi XII. aſſibus æſtimari cœptum: qui docet, quod inſtituerat? aut quo illa pertinent de bellis ciuilibus & argenti pretio per ea augeri ſolito? Quod addit denarium *tandem æſtimari duodenis* aſſibus cœptum, eius rei cauſſam quæro: neque enim affertur vlla: cum tamen ego, cur augeri potius, quam minui debuerit æſtimatio, afferre cauſſam grauiſſimam poſſim. Vix eſt enim vt princeps minuat, vel ſi pecunia exundet ſupra votum; nedum vt id faciat in ærarij anguſtijs. Et quando fuit Reſp. Romana ditior, quam Perſe deui-
cto,

ĉto, & omni Macedonum gaza Romam tranſlata, anno V. C. DXXCVII. quo tempore P. R. tributum pendere deſijt: aut ſub Punicum bellum. III. ſociale, ſub ciuile Pompeianum? nec tamen vnquam denarij æſtimationem imminutam fuiſſe legimus. Victo autem Antonio, & Iano clauſo, quamquam præda ingenti parta, maximas tamen fuiſſe anguſtias pecuniæ publicæ docet Mæcenatis apud Dionem oratio lib. LII. habita anno poſt Aegyptiũ triumphum. Is fuit V. C. DCCXXV. Ea oratione Mæcenas Auguſto auctor eſt, vt ad rem pecuniariam, quæ arcta erat, explicandam publica omnia ſubijciat haſtæ, tributumque imperet, in quo nihil prætereat eorum, quæ aliquem poſſeſſori fructum ferunt. Anno inſequenti, DCCXXVI. pecuniæ mutuo ſumptæ in ærarium exhauſtum illatæ ſunt; eodem auctore initio libri LIII. Hæc pax ærario, quantum ingẽtes poſtulabant ſumptus, opitulata eſt. Anno enim DCCLVIII. Auguſtus ad Senatum retulit, de vectigali nouo inſtituendo, vnde ſtipendia & præmia militibus perſoluerentur. Cumque producta re in annum inſequentem nemo omnium Senatorum comminiſci quidquam, quod probarent omnes, potuiſſet; eo ventum eſt, vt viceſima hæreditatium & legatorum exigeretur, quamquam id ferebat populus animo iniquiſſimo. Huic vectigali addita eſt anno inſequenti, quamquam aliter Lipſio videtur in Taciti Annalium librum II. centeſima rerum vænalium, & quinquageſima, ſeu quinta & viceſima vænalium mancipiorum. Mirari hic ſubit Auguſti, & Senatus prudentiam, qui nouis exactionibus vexare populũ inſtituerunt; quod erat ante pedes, quodque omnibus placuiſſet, non viderunt. Age Auguſte: pecuniam quæris? quantamuis nullo negotio dabo. Ea modo vera ſint, quæ de imperij opibus, deque ſeſtertij permutatione a Lipſio traduntur. Habes in publicis reditibus HS ſexagies millies, ſiue centum & quinqua-

ginta auri milliones. Argentum exige, & fac, vt denarius non duodenis, ſed, vt olim, ſenisdenis in poſterum aſſibus æſtimetur. Accedet lucro pars quarta, ideſt quinquaginta milliones, & ſumptus ſuppetet ſine difficultate ad milites tuendos, proſequendosque. At quarta pars vectigalibus quoque ſi denarius augeatur, accedet. Verum. ſed neque ſine vectigali aliquo expediri res poteſt; neque hoc Rempublicam bello Punico II. deterruit, quin pluris denarium æſtimari vellet; neque nouum vectigal facilius Vrbs, & Italia ſolæ, quam totus Romanus orbis perſoluet. Vna reſtat examinanda, vel, vt verius dicam, animaduertenda Lipſij verborum clauſula. Cum enim dicit denarium *duodenis aſsibus æſtimari* cœptum, in eo ſtetiſſe *Auguſti, & ſequentium aliquot Principum æuo*, rem haud obſcure ad Domitianum producit: Quod ni ita eſſet, omnia quæcunque diſputat de quatuor ſtipendijs, corruerent. At Domitianus melius multo conſuluiſſet rebus ſuis, ſi ſtipendio exhauſtus, quod adiecerat, quam dixi proxime, adhibuiſſet huic malo medicinam, non prædatus eſſet omni modo, & fiſcum acerbiſſime egiſſet. Id enim ei vitio vertit Suetonius; cuius locum ſuperius propoſitum iam tempus eſt, vt ſartum tectum tueamur, & a minime neceſſaria emendatione vindicemus. *Addidit*, inquit, *& quartum ſtipendium militi aureos ternos*. Hæc ita accipio, vt milites, qui tribus ſtipendijs ad aureos binos, & denarios aliquot peruenerant, quarto addito, tres totos aureos acceperint. Nouam ſententiam oppugnat aperte allatus a Lipſio & a Torrentio ſemel & iterum Zonaræ locus, de quo quid mihi videatur, dicam poſterius: nunc vera hæc ſententia eſſe poſſit, nec ne poſſit, videamus. Milites apud Tacitum denos accipiunt in diem aſſes Auguſti, & Tiberij principum æuo: trecentos igitur in menſem dierum XXX. Hos in ſexdecim partes qui deduxerit (tot enim aſſibus per ea tempora, vt diximus,

mus, denarius permutabatur) is comperiet eſſe denarios XVIII. aſſes XII. Hoc igitur vnum, mea quidem ſententia, ſtipendium eſt. Adde alterum; denarij fient XXXVII. aſſes IIX. Tertium ſuccedat; denarij erunt LXI. aſſes IV. cumque aureus Romanus denarijs vicenis quinis æſtimetur, tria ſtipendia erunt aurei bini, denarij ſeni, aſſes quaterni; quos rotundauit, vt cum Horatio dicam, Domitianus, cum quartum ſtipendium addidit. Nam ſi denarijs LVI. aſſibus IV. denarij accedant XIIX. aſſes XII. denarij fient LXXV. ideſt rotunde aurei terni, quos aucto a Domitiano ſtipendio R. milites accipiebant. Hac ego ratione cum & veterem tuear denarij æſtimationem, & probatam non modo impreſſis, verum etiam omnibus, vt docti viri teſtatum reliquerunt, calamo exaratis codicibus Suetonij lectionem, tamenne verear, ne Zonaræ malint viri docti credere? Non verear, ne ſi nihil quidem habeam dicere, niſi a latinis ſcriptoribus Græcum, ab hiſtoricis hiſtoricum diſſentire. Solet fieri; vt vel illi norunt, qui hiſtorias primoribus labris attigerunt. Græci præſertim, cum a Latinis hauriunt, multa peruertunt. Id Zonaræ vt non acciderit, illis fortaſſe accidit, quos ille habuit huius rei auctores. Vt vt eſt, vno verbo, qui nihil velit in hiſtoria pugnans relinquere, is omnes corrumpat, vel e medio tollat, neceſſe eſt. Hæc habui, de diurnis, ſiue menſtruis ſtipendijs quæ dicerem. De annuis fuſæ hic diſputandi conſilium non eſt. De Sp. duntaxat Liguſtino, vt me facturum recepi nonnulla, quæ appendicis loco erunt, attexam. Is apud Liuium lib. XLII. vigintiduo ſtipendia annua ſe in exercitu emerita habere dicit. Lipſius inuitis libris plane omnibus XXX. reponit. Ego illi Sp. ipſum Liguſtinum iudicem fero, cuius verbis nonniſi XXII. fuiſſe docebo. *Miles,* inquit, *ſum factus P. Sulpicio. C. Aurelio Coſſ:* is fuit annns V.C. D LIII. quo Philippicum bellum initum eſt. *Deuicto Philippo, Macedonibusq;*

buſq; cum in Italiam tranſportati, ac dimiſſi eſſemus. Is annus fuit DLVII. Quinque igitur hactenus habemus ſtipendia. *Continuo miles voluntarius cum M. Porcio Conſule in Hiſpaniam ſum profectus.* Annum ſignificat DLVIII. Triumphauit Porcius anno inſequenti. bina hic ſtipendia. Sequuntur anni DLX. DLXI. quibus non militaſſe Liguſtinum indicant, quæ apud Liuium ſequuntur. *Tertio iterum voluntarius miles factus ſum in eum exercitum, qui aduerſus Aetolos, & Antiochum eſt miſſus.* Primum enim T. Quinctio, deinde M. Porcio, tertio M, Acilio duce meruit annos duos DLXII. DLXIII. quo anno *expulſo rege Antiocho, ſubactis Aetolis reportati,* inquit, *ſumus in Italiam.* Bina hic quoque ſtipendia. totidem, quæ ſequuntur. *Et bis deinceps, quæ annua merebant legiones, ſtipendia feci.* anno DLXIV. DLXV. Quinquennio in ſequenti vacatio illi militiæ fuit, vt docent, quæ ſequuntur, *Bis deinde in Hiſpania militaui, ſemel Q. Fuluio Flacco, iterum Ti. Sempronio Graccho Prætore.* Flaccus Prætor fuit anno DLXXI. triumphauit DLXXIII. quo ipſo anno a Ti. Graccho rogatus in prouinciam ijt, atque ibi fuit vſque ad eius triumphum, qui incidit in annum DLXXV. quinque igitur in Hiſpania ſtipendia fecit. Ex eo tempore imperatores non nominat, ſed rem vno verbo abſoluens *XXII.* inquit *ſtipendia feci,* vt intelligamus militaſſe eum vſque ad Perſicum bellum, quod anno V. C. DLXXXII. quo hæc agebantur, ſuſceptum eſt. Inter annum autem DLXXV. & DLXXXII. ſexennium intercedit, quod ſi XVI. quæ iam numerauimus, ſtipendijs addas, XXII. fient. Cogitandum igitur Lipſio fuit, antequam huic loco manus afferret, non modo quot inter Philippicum & Perſicum bellum eſſent anni interiecti, verum etiam an fieri potuerit, vt Sp. Liguſtinus non ſemper militaret. Quamquam vt apud exercitum perpetuo fuerit, nonniſi XXIX. ſtipendia potuit merere,

rere, qui anno XXX. militiam detrectauit.

De Romanorum igitur ſtipendio ita cenſeo. Neque Polybij obolos binos, neque Plauti nummos ternos eſſe tres aſſes. Neque Polybium aut floruiſſe, aut ſcripſiſſe ſub bellum Punicum II. Neque Iunium Conſulem ex S.C. leges, quibus æra militaria minuerentur, abrogaſſe. Neque per bella ciuilia ſtipendijs auctis, ſed immodicis largitionibus eſſe certatum. Neque bello Punico II. denos aſſes pro denario militibus datos: neque poſt id bellum denarios, niſi pro XVI. aſſibus. Neque denarij pretium niſi ſemel auctum, nec vnquam poſtidea imminutum, & ad aſſes XII. redactum. Nec Suetonij locum de aureis ternis a Domitiano militi datis, aut Liuij de XXII. annuis Sp. Liguſtini ſtipendijs emendatione indigere.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE
ROMA

I N D E X

In quo barbaricæ numerorum notæ 1. 2. librum de frumentatione, Romanæ autem I. II. Commentarium de militari ſtipendio ſignificant.

A

Adriani frumentaria largitio. 48
Ædiles plebis quo anno primum creati. 15. *frumentum publicum curant.* 69. *Curules ibid.*
Ægyptij frumenti modus. 78. *& ſeq.* 83
Ægyptus triplo maior Sicilia 81. *efficit paſſim cum centeſimo ibid. quintam fructuum partem P. R. perſoluit.* 81. 82. *quantam frumenti vim quotannis tulerit.* 83
Ærarium militare & vectigalia in id illata. XI.
Æſtatem Attici vocant, quod Latini ver. 16
Africa vna e tribus præcipuis frumentarijs prouincijs. 76
Africani frumenti modus. 77. 78
Alexandri Imp. frumentaria largitio. 49
Alimentariæ leges. 23
Ἀναλαβεῖν.
Ancyrani lapidis fragmentum emendatum. 9. 40. 62. 63. *& ſeq.*
Ἀνέμητος *quis.* 32. 33
Annonariæ ſiue annonianæ leges. 23
Annua ſtipendia quæ. VI.
Annui R. imperij reditus. XI.
Antonini Pij frumentaria largitio 49. *Philoſophi. ibid.*
Ἀπογραφή. 56
Apparitoribus magiſtratuum frumentum gratis datum. 75
Appianus defenſus. 25
Appuleij Philoſophi ætas. 49
Appuleij lex frumentaria 26. *cur lata.* 27
Aratoribus frumentum Auguſtus dederit necne. 55
Aſconij in Cornelianam locus declaratus. VI.
Auctori ad Herennium fides conciliata. 26
Auguſti frumentariæ largitiones. 39. 62. 63. 83. *conſilium de frumentatione abolenda.* 39
Auguſtus publicam pecuniam largitus pro ſua 41. *quinque & triginta milliones in Remp. abſumpſit, præter duo patrimonia. ibid. aratoribus & negotiatoribus an frumentum gratis diſtribuerit* 55. *quã multis dederit.* 61. 62. 63. 64
Aurelianus panem primus dedit. 50

O *Bibuli*

B

Bibuli ædilis de Ceſare collega dictum. 23

C

Cælij ad Ciceronem in epiſtolis locus a minime neceſſaria emendatione vindicatus. 73
Cæſar conſulatus candidatus nummaria largitione a patribus oppugnatur. 36
Cæſaris ædilitas. 22. frumentaria extra ordinem largitio. 38. 53
C. Gracchi fragmentum orationis 25. frumentaria lex. 23
Caracallæ frumentaria largitio. 49. 53
Caſſiodori locus de pane venali. 82
Catonis ſuaſu frumentum egenis datum 34. non tamen gratis. 37
Cenſores an recenſum fecerint. 56
Centeſima rerum venalium, vectigal. XI.
Ciceronis locus in Frumentaria. 57. in epiſtolis ad Atticũ obſcurus. 35
Ciuibus omnibus frumentum nunquam gratis datum. 68
Clodiæ leges frumentariæ duæ. 36
Cohortibus prætorijs frumentum gratuitũ Nero primus dedit. 54. 67
Collegium piſtorum a Traiano inſtitutum. 44. quo conſilio 48
Commẽtarij veteres in Iuuenalem, Perſiũ, Horatij Satyras corrupti. 44
Coronæ e panibus ab Aureliano populo R. datæ. 50
Curionis varia lex. 73

D

Denarij pretium quando auctum. II.
Denarium pro denis aſſibus dare quid ſit. VIII.
Dimenſum quid. 49
Dio cum Saluſtio & Demoſthene collatus 30. eius locus illuſtratus. 37. de Auguſti largitionibus locus. 41. de recenſu a Cæſare facto 60. de Auguſti recenſu, & congiario. 62
Domitianus quartum militi ſtipendium vt addiderit. XIII. eius frumentaria largitio. 47
Donare quis dicatur. 10
Drachma ſenos habet obolos. II.

E

Etruſci farre plurimo vtebantur. 19
Ἐξέτασις. 56

F

Far in magno apud Etruſcos vſu. 19. eo tantum vſi Romani annis amplius CCC. 19. triticum interdum ſignificat. ibid.
Frumentaria C. Gracchi lex 23. abrogata. 26. incerti auctoris. ibidem.

Satur-

Saturnini ibid. Druſi. 27. Terētij & Caſsij. 28. perlata. 29. Clodij una atque altera. 36. 37. cur diuturna. 38

Frumentaria M. Seij largitio. 21. Cæſaris. 38. 53. Auguſti non vna. 39. Tiberij 41. Neronis ibid. & 43. 44. 46. Titi 46. Domitiani 47. Neruæ 47. 48. Adriani. 48. Antonini Pij 49. Antonini Philoſophi ibid. Septimij Seueri ibid. Caracallæ ibid. Alexandri ibid.

Frumentaria procuratio ſordida quibuſdam viſa. 70

Frumentariæ largitionis initium. 11. 14. 15

Frumentariæ prouinciæ. 22. quæ dicantur. 76. tres præcipue. ibid. naues immunitate a Nerone donatæ. 55

Frumentationis nomen quando vſurpari captum videatur. 11

Frumenti curatio inter imperij firmamenta. 71. Romam inuecti pondera 78. 79. modus initio incertus. 51. a Graccho definitus. ibid. auctus a Seuero & Caracalla. 53. pretium a Nerone imminutum. 41. Siculi modus. 76. Africani. 77. & ſeq. Ægyptij 78. & ſeq.

Frumentum quid ſignificet. 18

Frumentum curarunt reges. 68. Senatus ibid. Æediles plebis. 69. Minucius extra ordinem. ibid. Æediles curules ibid. Prætor de maieſtate. ibid. Sex. Clodius extra ordinem. 69. Pompeius item. 70. Æediles Cereales. ibid. Auguſtus, Tiberius. ibid. Præfectus annonæ. 71. Præfectus prætorio. 72

Frumentum ab Impp. in annonæ caritate leuiſſimo pretio datum 39. a Nerone militibus prætorianis. 46. Populo a priuatis teſtamento donatum. 22. vicatim diſtributum. ibid.

H

Halicarnaſſeus corrupta vſus chronologia. 15. eius error in Æedilibus plebis anni CCLXVI. 16

I

Imperij Romani annui reditus. XI.

Initium frumentariæ largitionis falſum. 11. verum. 14. 15

Ioſephi de Africano & Ægyptio frumento locus examinatus. 77. & ſequen.

Iuuenalis ætas. 43. locus Pliniani & Perſiani collatione illuſtratus. 45. alter locus 47. ſcholiaſtæ auctoritas 44. 47

Iuuenalis frumentariam largitionem agnoſcit. 46

L

Lapidis Ancyrani fragmentum emendatum. 40. 62. & ſeq.

Largitiones omnes ſunt blandimenta. 12

Largitiones frumentariæ Cæſaris. 38. 53. Auguſti. 39. Tiberij. 41. Neronis 42. &c. lege Frumentariæ largitiones.

Laurentij Pignorij laus.83
Leges rem militarem impedientes S.C. abrogatæ. VI.
Leges frumentariæ.23.*annonariæ.ibid.alimentariæ.ibid.*
Lex frumentaria.lege Frumentaria lex.
Lex prima de frumentaria largitione.28
Lex Viaria Curionis 73.
Libertini frumentum acceperunt.54
Libra Romana Patauinæ maiori vt reſpondeat.83
Lipſius Liuij locum corrumpit.11.20. VI.XIII.*Plinij*.17.*Victoris*.80 *Suetonij* VII.
Lipſij de militari ſtipendio loci e commentario in Taciti Annalium primum examinati. VIII. X.
Liuia lex frumentaria.27.*abrogata.ibid.*
Liuius corrupta Chronologia uſus.15.*eius locus, ex quo frumentariæ largitionis initium eruit Lipſius, examinatus*.11.*& ſeq. corruptus a Lipſio*.11. VI. XIII.*eius error*.15

M

M. Liuij falſum de largitionibus ſuis dictum.37
M. Seij frumentaria largitio.21.*olearia*.22
Marius legi frumentariæ interceſſit.26
Media annona Plinio quæ.42.43
Medimnum modios ſex R. capit.59
Militare ærarium quibus uectigalibus inſtructum. XI.
Militare ſtipendium.lege Stipendium.
Minucij Augurini frumentaria largitio.18
Modij quini frumentarijs legibus dati.52.*non ſeni.ibid.non deni*.53
Modius Romanus cum Patauino collatus.83.
Modus annonæ Tacito quis.42.*frumenti initio incertus*.51. *a Graccho definitus.ibid.modium quinum uidetur fuiſſe*.52.*auctus a Seuero, & Caracalla*.53
Mos Porſenæ bona Romæ vendendi.14

N

Naues frumentariæ a Nerone immunitate donatæ. 55
Negotiatores ab Auguſto an frumentum acceperint.ibid.
Nero gratuitam frumentationem ſuſtulit. 42. *publici frumenti pretium imminuit.ibid.frumentum dedit*.46.*frumentarias naues immunitate donauit*.55. *cohortibus prætorianis frumentum gratis primus dedit*.54.67
Neruæ frumentaria largitio.47
Numerus accipientium publicum frumentum lege Sempronia, Appuleia,

leia,Liuia incertus.57.lege Terentia.ibid.58.59.S.C.in ſententiam Catonis.59.ſub Cæſare.60.an à Cæſare auctus. 61.a Tiberio minime auctus.65.ſub Nerone 67.ſub Seuero.ibid.

Nummus & ſeſtertius ibidem. V.

O

OLearia M.Seij largitio.22

Olei vis ingens a Leptitanis exacta.77

Olympiodori apud Photium locus decleratus.82

P

PAne a propola plerique Romæ viuebant.48

Panis nomine copia annonæ ſignificatur.47

Panis ab annonæ præfecto diſtributus.75.ab Aureliano pro frumento primum datus.50

Paulli I.C.ætas.50

Pecuniæ vis quotannis effuſa frumentarijs largitionibus. 33

πείθειν.34

Peregrini ante ciuitate,quam frumento donati.54

Perſij mors.43.locus illuſtratus.44.Scholiaſtæ auctoritas.44

Petronius Ægypti præfectus.81

Piſtorum collegium a Traiano inſtitutum.44. quo conſilio.48

Plauti mors.V. e Moſtellaria locus.IV.

Plebis ſeceſſio,& reditus in vrbem.15

Plinius triſtior Iuuenale cenſor.45. eius locus fruſtra a Lipſio tentatus.17.alter locus illuſtratus.ibid. & 18.42.43. cum Perſio collatus 45.locus illuſtratus. VII. VIII.

Plutarchi obſcurus locus.19.20.de Africano frumento. 77. loci duo conciliati.21

Polybius quando hiſtoriam ſcribere cœperit.III.cur lib.VI. Romanorum inſtituta ſit exſequutus.ibid.eius ætas.IV.

Porſenæ bona uendendi mos.14

Præfectus annonæ principis vicarius.71.panem diſtribuit.75

Præfecti frumento dando ab Auguſto inſtituti.74

Prætoriæ cohortes frumentum gratis a Nerone primum acceperunt. 54.67

Pretium frumenti.42.a Nerone imminutum.41: nullum fuit publici frumenti,quod lege Clodia dabatur.42

Prouinciæ frumentariæ quæ.22.76.tres præcipuæ.ibid.

Q

QVinquageſima venalium mancipiorum,vectigal. XI.

Quinque & triginta milliones Auguſtus ex amicorũ teſtamẽtis percepit.41

Recen-

R

Recenſio & recenſus quid.56.a Cenſoribus non uidentur facta.56. a Cæſare.60.ab Auguſto.62
Romana Reſp.quibus temporibus ditiſſima. X. XI.
Romani farre tantum e frumento trecentis annis vſi.19
Romani imperij annui reditus.XI.

S

SAluſtij locus.28.collatus cum Demoſthene.30.31.32. reſtitutus et illuſtratus.31.tentatus.32.illuſtratus.52
Scholiaſtæ Perſii auctoritas.44
Semiſſe ac triente cur frumentum plebi datum dicatur.24
Senatores frumentum acceperunt.54
Senatus frumentariæ largitionis auctor videtur fuiſſe.15
S.C.in Catonis ſententiam de frumentaria largitione.32.an ratum fuerit vſque ad legem Clodiam 34.& ſeq. frumentum eo gratis datum non eſt.37
Seni oboli drachmam faciunt. II.
Septimij Seueri frumentaria largitio.49.53.67.Congiarium 67.
Seſtertius & nummus idem. V. poſt bellum Punicum ſecundum ſemper ſenisdenis aſſibus æſtimatus.IX.an ſub Auguſto, & ſequentibus principibus duodenis aſſibus ſit permutatus. ibid.
Seceſſio plebis ſeptembri extremo.15
Sicilia frumentaria prouincia vna e tribus præcipuis.76. quem frumenti numerū Romam quotannis miſerit.ibid.& 83. multo minor Ægypto.81.grani pondere & feracitate cum Aegypto certauit. ibid.duas decumas perſoluit.29.81.quam frumenti vim quotannis tulerit.83
Siculi frumenti pretium in Sicilia.60.Romæ.ibid.
Σιτηρέσιον.24
Σιτικοὶ νόμοι.23
Σῖτος quid.19
Spartiani locus. 67
Sp.Liguſtini vigintiduo ſtipendia.VI.XIII.XIV.
Stipendia annua quæ.VI.quot Romanus miles mereret. ibid.
Stipendia quatuor Romanorum militum quæ pecuniæ ſumma. VII. XII.XIII.
Stipendij nomen ambiguum. II. VI.
Stipendium militibus Romanis dari quando cæptum. II. Punico bello ſecundo quod fuerit.IX.Polybij ætate.II.a Cæſare in perpetuum legionibus duplicatum.V.ſub Cimbricum bellum auctū non eſt.ibid.

nec

nec per bella ciuilia.VII.ſub Auguſto & Tiberio.VII.ſub Domitiano.XII.XIII.

Suetonij locus.55.a Lipſii emendatione vindicatus.VII.IX.XII.

Sylla tribunitium poteſtatem minuit. 28

T

Tacitus Xiphilino conciliatus 42.*eius loci.*47.65.66.67.*VII.*

*Terentia lex frumentaria.*28.*perlata.*29.*quandiu rata.ibid.*

*Teſſeræ frumentariæ.*50.*vili vendebantur.*56

Tiberius quoto ætatis anno quæſtor. 70.71.*eius frumentaria largitio.* 41.65.66

*Titi imperatoris frumentaria largitio.*46

*Traianus piſtorum collegium inſtituit.*44.*quo conſilio* 48

Trecenta hominum M.a Porſena in vrbe obſeſſa. 14

Tribuni plebis quo anno primum creati. 15

Tribunitia poteſtas a Sylla imminuta 27.*a Pompeio, & Craſſo reſtituta.*28

V

VÆnalium rerum centeſimæ vectigal.XI.mancipiorum. ibid.

Vectigal centeſimæ.XI.quinquageſimæ, quintæ & viceſimæ, viceſimæ. idid.

*Viaria Curionis lex.*73.*ſimiles agrariæ Rulli.*74

*Vicatim frumentum diſtributum.*22

Viceſima hæreditatum & legatorum. XI.

*Victoris locus declaratus.*28.*de Ægyptio frumento.*77.*a praua emendatione vindicatus.*80

*Vinearia Curionis lex.*73

Vlpiani l.Cætas. 50

*Vopiſco lux allata.*50

X

Xiphilinus Tacito conciliatus. 42

Z

Zonaræ de quatuor militum R.ſtipendijs locus. VII. XIII.

FINIS.

ERRATA

Quæ Typographi corruperunt, referre omnia in hunc indicem nec libet, nec licet. Nam quædam lector hoc agens, interdum etiam aliud agens facile emendabit. Grauiora tantum errata perſequi eſt conſilium. ſi quod præteriero, veniam ſaltem ab ijs impetrabo, qui ſciunt, quam ſæpe auctores ſcripta ſua curſim legentes fallantur.

9. capi cepi. 11. M. M. 12. popularia, benigne. minoribus charactéribus deſeribenda hæc fuerunt. 13. ſi. ſuſcepta. ſi. ſuſcepta. 14. M. M. 17. vtilitas vilitas. ſic pag. 20. 21. 18. ideo ideo. 20. vt pretij & pretij. 22. StaterI StaberI. 23. in ſn. 23. lib. XVIII. lib. VIII. 23. allatoribus a latoribus. 27. eliſit. eliſit. 30. ἀδειν- ἀδειν- 31. hunt hunc. 32. προδ- προδ- 33. conferenda erant. conferendus erat. 38. extraordinem extra ordinem. 40. ITERVN ITERVM. 42. dare dari. 45. panis panes. 46. parabūtur parabantur. 48. quādiu quam diu. 53. panem certe parem certe. 54. πομίιος πομπηίος 54. veritim viritim. 57. plebs R. plebes R. 58. ἐλιγ- ὀλιγ- 61. FRVMEMTVM FRVMENTVM. 62. Αυγουσο Αυγουσος. 62. vereor, vt vereor, ne. Ita legi malo; quamquam ſcripſi certo conſilio ut impreſſum eſt. 63. ſuſpicantur ſuſpicatur. 63. fragmentis fragmenti. 65. FRVMEM- FRVMEN- 67. ἰαρίδ- ἰσαρίδ- 69. Minutium Minucium. 73. diuiſionem vineariam. d. vinearum. 74. quennium quinquennium. 77. ſuperiobus ſuperioribus. 77. & a paucis aut a paucis. 79. potuerunt. potuerunt? 80. voluimus velimus. 80. Huius tempore. locus Victoris minoribus charácteribus deſcribendus. 81. reddidebat. reddebat. 81. prebita præbite. 83. Romanorum Romanarum. In epiſtola Commentario præfixa. qua vindicare quem vindicare. II. æſtimaris æſtimari. III. aucto aucta. V. binos quinos. VI. quinos quinos. VII. quæruntur queruntur. VII. accipiebat. accipiebat? VII. ex hac ex hoc. VIII. eſſes aſſes. VIII. interprete. interprete? XI. ſociale ſub ſociale. XI. Hæc pax. Nec pax. XII. deduxerit diduxerit. XIII. LXI. LVI. XIII. fuſa fuſe.

BIBLIOTECA NAZIONALE ROMA

VITTORIO EMANUELE II ROMA